Jg
59/88

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0001-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0002-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0003-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0004-6

156 8.
12.

# C. G. A. B.

## EXERCITATIO HISTORICO-MORALIS

## DE

# IVRAMENTIS

IN QVA

POST GENERALEM ILLORVM CONSIDERATIONEM

PRIMORVM POTISSIMVM

## CHRISTIANORVM DOCTRINA

DISQVIRITVR

EORVMQVE MORALITAS EXAMINATVR.

---

*HALAE SALICAE,*

IMPENSIS ORPHANOTROPHEI, MDCCXXXII.

1802.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0005-1

KOEN. BIBL. DER UNIVERS. HALLE.

VIRO

*PERILLVSTRI*

*GENEROSISSIMO,*

# PARENTI OPTIMO

*IMMORTALITER DE SE MERENTI*

HOC QVALECVNQVE

PIETATIS ET GRATI ANIMI MONVMENTVM,

SACRVM ESSE IVBET

*FILIVS OBSEQVENTISSIMVS.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0007-2

*PERILLVSTRIS, GENEROSISSIME DOMINE,*

*PARENS OMNI PIETATE COLENDE,*

DEO inprimis, rerum mearum ſupremo moderatori, deinde TIBI, Parens incomparabilis, vni debeo, quod adeo mihi licuit eſſe felici, vt hos quatuor an-

annos in ſeceſſu litterario, tam Halæ Saxonum, quam Lipſiæ transigerem. Iis potiſſimum ſtudiis incubui, quæ mentem polire, vitam ornare, publicæ vtilitati, & quod maximum eſt, ipſi æternitati inſeruire poſſunt. Rationem eorum vt publica diſſertatione academica redderem, pro ea, qua in me es indulgentia, non poſtulaſti. Neque ita ſe vnquam mihi probauit illa conſuetudo, vt cathedram adſcendere admodum valde deſiderarem. Nihilo tamen ſecius mearum eſſe partium duxi, ſpeciminis loco hanc qualemcunque lucubrationem inter reliquos labores concatenatos enatam, oculis TVIS ſubiicere, TVVMque ambire patrocinium. Aequi bonique hoc ipſum conſulas velim, neque vbi vires defuerunt, ſaltem me aliquid voluiſſe indigneris. DEVS, quod reliquum eſt, TE, Parens Optime, quibusuis

bonis abundare, rectiſſime valere, emolumentis publicis noſtrisque diu ſuperſtitem intereſſe, mihi denique fauere iubeat; quem TVO fauori habeas rogo longe commendatiſſimum

*NOMINIS TVI PATERNI*

Dab. Lipſiæ prid. Calend, Mart.
MDCCXXXII.

*cultorem obſeruantiſſimum*

Carolum Gottlob a Burgsdorff.

# PRAEFATIO.

## *LECTORI SALVTEM!*

SIſtit ſe tibi L.B. exercitatio de iuramentis; non tam in genere de omnibus, quam in ſpecie de praxi trium vel IV. priorum ſæculorum circa hanc materiam. Is ego non ſum, qui eruditorum ſcripta augere queam. Neque eo deueni audaciæ, vt hoc mihi arrogarem. Tentaui, quid valeant humeri, quid ferre recuſent. Tibi, lector beneuole, quas concinnaui meditationes, trado. Non quod omnia me ad-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0011-4

adſecutum eſſe putem, ſed ut tibi anſam cogitandi & veritatem melius eruendi præbeam. Hoc vnum te ſcire volo, me loca patrum, aliorumque auctorum omnia, quorum feci mentionem, euoluiſſe, neque aliorum meas feciſſe allegationes; non ignarus, quam facile bona fide erretur, & adhuc a doctiſſimis viris erratum ſit. Fecit eruditiſſimorum virorum benevolentia, vt horum omnium librorum (ſi vnum forſan atque alterum excipies) perluſtrandorum copia mihi facta ſit. DEVM rogo, vt & has paginas ad amplificationem Nominis ſui glorioſiſſimi & honorem, vel aliqua ſaltem ratione, aliquid conferre iubeat. Vale. In legendis hiſce paginis cenſorem nimis rigidum agere noli. Dab. Lipſiæ prid. Calend. Mart. MDCCXXXII.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0012-0

# *CONSPECTVS*
## TOTIVS EXERCITATIONIS.

§. 1. *Definitio iuriſiurandi præmittitur.*

§. 2. *Eadem defenditur & explicatur.*

§. 3. *Diuiſiones iuramentorum adduntur.*

§. 4. *Origo iuramentorum oſtenditur.*

§. 5. *Eius religio apud omnes populos.*

§. 6. *Iuramenta principum, iudicum, fidelitatis, aliis plerisque antiquiora ſunt.*

§. 7. *Argumentum huius exercitationis, & occaſio ſcribendi adfertur.*

§. 8. 9. 10. *Erroneam eſſe opinionem, primos chriſtianos omnino non iuraſſe, affirmatur.*

§. 11. *Inſtantiæ reſpodnetur, quod laudibus hæc ipſa doctrina primitiuæ eccleſia annumeretur.*

§. 12. *Tranſitus fit ad ſæc. I. in quo iuratum fuiſſe probatur.*

§. 13. 14. 15. *Exemplo Pauli Apoſtoli, quem vere iuraſſe demonſtratur.*

§. 16. *It. Chriſtianorum in Syria, qui Veſpaſiano iuramentum fidelitatis æque ac reliqui ſubaiti præſtiterunt.*

§. 17. *Locus Iacobi c. 5. v. 12. examinatur.*

§. 18. 19. *Sæc. II. Iuſtini Martyr. & Iren. quæ fuerit mens circa materiam iuramentorum, disquiritur.*

§. 20. *Locus Plinii Secundi ex Epiſt. 97. Lib. X. ad Traian. adfertur.*

§. 21-26. *Hunc locum de vero iuramento inter chriſtianos recepto agere, probatur.*

§. 27. *Obiectioni reſpondetur.*

§. 28. *Coniectura de iuramento in baptiſmate adhibito.*

§. 29. *Tranſitus ad Sæc. III.*

§. 30. *Canones Apoſtolorum huc non pertinent.*

§. 31. 32. 33. *Clementis Alexandrini.*

§. 34. *Origenis &*

§. 35. *Tertulliani ſententia examinatur.*

§. 36. *Iurabant ethnici per fortunam & genium principis.*

§. 37. 38. 39. *Tertulliani loca adferuntur.*

§. 40. *Nouati ſceleſtum facinus recenſetur.*

§. 41. *Tranſitus ad Sæc. IV.*

§. 42. *Exemplum Conſtantini M. Imper.*

§. 43. *Athanaſii.*

§. 44. *Gregor. Nazianzeni.*

§. 46. *Baſilii M.*

§. 47. 48. *Chryſoſtomi ſententia examinatur.*

§. 49. *Longius progrediendum non eſſe oſtenditur.*

§. 50. 51. 52. *Genuina ratio, cur clerici a iuramenti præſtatione immunes ſint, inueſtigatur.*

§. 53-58. *Locus Chriſti Matth. 5. v. 54. explicatur.*

§. 59. 60. *Mennoniſtæ & alii iurare detrectantes corriguntur.*

§. 61. *Quomodo cum eis procedendum, oſtenditur.*

§. 62-65. *Abuſus iuramentorum notatur.*

§. 66. *Leges in periuros & temerarie iurantes latæ adferuntur, tandem concluditur.*

## §. I.

De iureiurando quædam dicturi, ordinis recepti cauſa definitionem merito præmittimus, vt ab initio tractionis, quid ſentiamus, adpareat lectori. Poſtulare hoc ipſum ſuo quaſi iure videtur inſtituti ratio. Sumus enim concluſiones quasdam, non vbique receptas, inde iamiam deriuaturi. Nobis igitur iuramentum eſt: *Conſulta DEI ad teſtimonium vocatio.* a) Quæ definitio cum illud habeat ſingulare, vt neque

a) Inuocationis vocabulum minus recte hic applicari, ſatis opportune monuit Io. Sam. Strykius Meletem: Iuram. I. §. 6. ideo ſc. quod

que religioſæ adſeuerationis, neque DEI, tanquam vindicis expreſſam faciat mentionem, omiſſionis rationem breuibus dabo.

§. II.

Equidem ſcio, vtrumque a doctoribus vt plurimum addi ſolere: Verum enim vero; cum multis non egeant verbis, quæ paucis æque diſtincte proponi poſſunt, illud optimo iure omiſimus. Pertinet enim concinna breuitas ad virtutes definitionum primarias eaque ſuadet, vt ſuperflua quæque reiiciamus. Terminus vtique adſertionis, altero termino, DEI ad teſtimonium inuocationis, iam continetur, eique ſynonymum eſt; quamobrem vt conceptus & termini acquipollentes in definitione non fruſtra cumularentur, vnus prætermitti potuit. Eadem quoque ratio ſubeſt, cur imprecationem, ſiue expreſſam ad Summi Numinis vindictam prouocationem omiſi. Nunquam idea vindictæ (mea quidem ſententia) a teſtimonio DEI b) ſeparari poteſt. Simulatque

quod anſam præbeat erroneæ, diuque exploſæ ſententiæ, ad cultum diuinum proprie pertinere iuramenta. Licet ipſe Auctor vocabulum illud ſenſu mere grammatico ſumtum, admitti poſſe concedat. Similem habet iuramenti deſcriptionem ill. Griebnerus in princip. iurisprud. natur. vbi lib. I. c. 7. §. 8. p. m. 100. ait: Solet ſermoni pactisque noſtris aliquando ſanctius iurisiurandi vinculum accedere, quo fidem facimus iis, qui aſſertioni vel promiſſioni noſtræ non confidunt, *diuino Numine in teſtimonium aduocato*. Huic reſpondet, quod Polus in Synopſ. Critic. Tom. IV. p. 120. ponit: Iurare eſt *teſtem* dictis adhibere, eumque ſe maiorem & infallibilem. Iohannes Placetius in tract. gallic. de Iurament. lib. 1. c. 1. p. 2.: Le ſerment conſiſte, comme chacun le comprend aſſés de ſoi méme, à prendre dieu, ou ce qu'on regarde comme Dieu, à temoin de ce que l'on dit.

b) Egregie ſane hoc idem Placetius loc. cit. argumentum premit, aiens: Lorsqu'on jure, on ne prétend

atque omnipotens, iuſtiſſimum, omniſcium illud Numen, vt teſtimonium iuranti præbeat, rogo; memet ipſum neceſſario vindictæ ſimul ipſius ſubiicio; ſiue verbis, ſiue non, exprimam. Quod enim aliud quæſo a DEO exſpectabis teſtimonium, quam quod vindicando & puniendo perfidiam in eo, qui peierat, exhibere debeat. Etenim ille tremendus DEVS hic non vt nudus teſtis,

tend pas, que Dieu rende un témoignage exprès & formel à la verité de ce que l' on dit - - - On lui demande ſeulement, qu'il le faſſe d'une maniére indirecte, en ne puniſſant pas celui qui jure, au cas qu'il diſe la verité, & en le puniſſant ſevérement, ſoit dans cette vie, ſi il le trouve à propos, ſoit ſur tout, dans la vie à venir, au cas qu'il mente. En effet le jugement, que Dieu exerce de cette maniére, eſt une eſpéce de témoignage indirect, qu'il rend à la verité, & l'action de celui, qui ſe ſoumet à ce jugement, eſt une confirmation auténtique, de ce qu'il dit, n'etant pas croyable, qu'un homme, qui ne paſſe pas pour Athée, puiſſe ſe réſoudre, ſoit à faire à Dieu un tel outrage, que de le prendre à temoin d'une fauſſeté, ſoit à s'expoſer au danger inévitable d'en être puni. On peut décider par là une queſtion, qui partage les Théologiens. On demande, ſi le ſerment emporte eſſentiellement une imprécation, je veux dire une demande d'être puni au cas, qu'on mente. Les uns l'aſſurent, les autres le nient. Mais ce que je viens de dire, fait voire clairement, que les prémiers ont raiſon. En effet, ſi on pouvoit jurer ſans s'aſſujettir à la vengeance de Dieu; je ne vois pas, à quoi le ſerment ſe réduiroit, ni comment on pourroit prendre par là Dieu à temoin, de ce que l'on dit. Comment peut on prétendre, que Dieu rende témoignage de la verité, qu'en faiſant l'une ou l'autre de ces deux choſes, ou en s'expliquant formellement, par une révelation extraordinaire, ou en puniſſant tôt ou tard ceux, qui on l'audace de le prendre à temoin d'une fauſſeté? On ne prétend pas, qu'il faſſe le prémier. Il y auroit une folie à le prétendre. Il faut donc de néceſſité, qu'on ſe rêduiſe au ſecond; & qu'ainſi l'imprecation ſoit eſſentielle au ſerment.

c) B. Bud-

teſtis, ſed veluti iudex c) acerrimus conſideratur, cuius iuſtitia neminem impune peierare patietur, licet is vindictam iurando explicite non popoſcerit. Quæ cum ita ſint, vtique ſufficere puto, quod teſtimonii tantum, in definitione mea, expreſſam feci mentionem. Nullus enim admittendum cenſeo, explicitam inuocationem in vindicem ad ipſam iurisiurandi eſſentiam neceſſario pertinere; quamuis eos non reprehendam, quibus vel appoſitionis inſtar ſynonymicæ, illud addere, vel loco teſtis, vindicis vocabulo vti, placet, modo ſiniſtras inde non deducant concluſiones.

§. III.

Varie Dd. iuramenta diſtinguunt pro diuerſitate tum negotiorum, quibus adduntur; tum ſolemnitatum, qui-

c) B. Buddeus in Elem. Phil. Pract. p. 292. Deus in iureiurando conſideratur, non vt teſtis, ſed vt iudex pœnam grauiſſimam inflicturus. Vlric. Hubertus de iure ciuitat. ſect. VI. c. 3. §. 22. p. m. 518. vocat iusiurandum: adſeuerationem cum inuocatione Numinis in teſtem, & cum imprecatione noſtri. Deinde pergit: Etſi poſterior pars, haud expreſſa licet, vltro intelligitur, cum, qui Deum inuocat, ſuperiorem citat, ἔκδικον ὄμμα vindicem oculum habentem. Quæ omnia probat & vberius explicat ill. Bœhmerus in iur. eccl. Pr. lib. XXIV. p. 1272. Licet inde vir doctiſſimus ſatis erudite inferat, ſolam vindicis mentionem ſufficere; inuocationem vero in teſtem, conceptum iurisiurandi deprauantem, omittendam omnino eſſe. Alios noui, qui per ſolam prouocationem ad Deum recte definiri iuramentum putant, & vindicis æque ac teſtis mentionem omitti poſſe ſtatuunt, quod vtrumque in ipſa prouocatione contineatur. Quorum opinio ſatis ſe mihi probat, modo addatur: *aliquid adfirmandi vel negandi cauſſa facta.* Sed cuilibet in definiendo ſalua ſit libertas. Nobis hæc placuit. Qua poſita, difficultates quædam, nodi Gordii inſtar eruditos vexantes, facili negotio ſolui poſſe conſtat. Præſertim de Pauli Apoſtoli iuramentis, quæ ob rationes neſcio quas, ad iuramenta referri poſſe multi negant.

 d) Vnde

quibus adhibitis, ea præſtare ſolemus. Hinc alia vocant neceſſaria, alia voluntaria, alia iudicialia, alia extraiudicialia: alia licita, alia illicita, multasque præterea excogitarunt iuramentorum diuiſiones. Noſtrum vero cum non ſit, easdem examinare, hic non morabimur. Sufficit cum Grotio aliisque multis diſtinxiſſe iuramenta in *aſſertoria & promiſſoria:* quæ diſtinctio ex ipſo eorum obiecto prono alueo fluit, omnesque reliquas, tamquam ſubdiuiſiones, continet. Quotiescunque enim iuramus, id agimus, vt alteri fidem faciamus, vel promiſſi, vel aſſerti; neque intereſt, vtrum in iudicio, an extra illud fitt, cum omnia tamen indiſtincte, vltimato ad hanc ſpeciem referenda ſint.

## §. IV.

Omnium vero iuramentorum originem atque natales, cuiuscunque demum illa ſint generis, in perfidia d) recte quæſiuerunt eruditi. In ſtatu enim innocentiæ nullus e) certe eorundem vſus fuiſſet. Poſtquam autem fraus & malitia mortalium pectora, proh dolor! impleuerunt, remedia neceſſario excogitanda fuerunt, ad gliſcentibus & ſocietatem ſubuertentibus hiſce malis obuiam eundum. Horum, ni fallor, antiquiſſimum, f) & inter omnes fere gentes g) vſu recepto comprobatum eſt iusiuran-

d) Vnde ill. comes Ruthen. Henricus VI. in diſſ. de iurei. per procur. §. 1. optimo iure diffidentiam hominum matrem iurisiurandi vocat.

e) Chriſt. Thomaſius in iurispr. diu. lib. 2. c. 9. §. 1. 2. Quod ſi integer manſiſſet homo, iuramenti quidem nullus fuiſſet vſus; hoc enim in ſubſidium deprauatæ naturæ introductum eſt.

f) conf. Geneſ. 24. Ioſ. 9. ſacris enim paginis antiquiores ſcriptores non habemus.

g) Quod ex innumeris profanæ hiſtoriæ ſcriptoribus, qui mores gentium, earumque leges tradiderunt, ſatis apparet. Vid. paſſim Ioh. Bœmus, de moribus, legibus, & ritibus omnium gentium. Lugd. 1561.

h) Tho-

iurandum; cuius originem in ipſis pactorum incunabulis non fruſtra quæres. Nullo enim facilius pacto deprauatos & ad fallendum maxime pronos homines, vt fidem ſeruarent, adigi poſſe putarunt, quam metu diuinæ vindictæ, h) cui peierans quisque ſponte ſeſe ſubmittit.

§. V.

Quamobrem populi ad vnum quaſi omnes, iuriiurando maximam vim obligandi tribuerunt, internam ſanctitatem i) & religionem ipſi ineſſe arbitrati. Vnde non temere ad iuramentum deueniendum, k) ſed in ſeriis tantum, maiorisque momenti negotiis illud adhibendum

h) Thomaſ. l. c. In ſtatu corrupto non aliud nobis ſuppetit medium, quo in eo, qui aliquid aſſerit vel permittit, fallaciam aut perfidiam, in altero vero, cum quo negotium eſt, dubitationem & incredulitatem ex intentione noſtra ſupprimeremus. Dum enim omniſcius & omnipotens, teſtis ſimul & vindex inuocatur, præſumtio veritatis & fidei ideo excitatur, quod nemo temere credatur tam impius, vt ita petulanter grauisſimam Numinis indignationem in ſe depoſcere ſit auſurus.

i) Nullum (ait Cicero lib. III. de officiis c. 29.) vinculum ad adſtringendam fidem iureiurando maiores arctius eſſe voluerunt, indicant leges in XII. Tabulis, indicant ſacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte deuincitur fides; indicant notationes animaduerſionesque cenſorum, qui nulla de re diligentius quam de iureiurando iudicabant. Id. lib. eod. iusiurandum eſt adfirmatio religioſa, vbi aliquid affirmato tamquam Deo teſte promittitur.

k) Quis ignorat Pythagoricum illud: Nemo Deum iuramento teſtem inuocet - - - Vnusquisque autem ſic loqui adſueſcat, vt dignus euadat, cui credatur etiam ſine iuramento. Epictetus Enchir. c. 44. Iusiurandum recuſa, ſi fieri poteſt omnino; ſin minus, quantum potes. Quibus annumerari meretur Iſocratis illud: Pecuniæ cauſa per nullum Deum iurabis, etiamſi liquido id ſacre poſſis, ne aliis periurus, aliis auarus videaris. Pertinet huc notiſſimum Cliniæ, Pythagorici cuiusdam exemplum, qui cum ſolutionem trium talentorum iureiurando effugere poſſet,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0019-2

dum ſtatuerunt. Præſtitum autem l) ſeruarunt, periurii pœnam vt flagitii maxime nefandi, ad poſteros quoque tranſire credentes. m)

§. VI.

poſſet, maluit hanc ſummam numerare, quam iurare. Plato in lib. II. de legibus: Præcepit reipublicæ, ne ferat, vt, qui publice res venales habent, eas vel laudent, vel de pretio illarum iurent. Quin ſtatuit, licitum eſſe cuilibet, vt leuiter iurantem impune cædat.

l) M. Chriſtoph. Beier diſſ. de origine & natura præiudiciorum in iureiurando §. 3. Atque hæc eſt cauſa, quare omni ætate, apud omnes fere gentes, etiam eas, quæ vel ſolo rationis lumine gaudebant, tanta fuit iurisiurandi ſanctitas, vt, quæ ſub eius religione promiſſa fuerant, ſancte ſeruare, partem ſuæ religionis haud exiguam eſſe exiſtimauerint.

m) Tobias Pfannerus in ſyſtem. Theolog. gentil. ait: Periurium inter ea crimina refertur, quibus etiam poſteros obnoxios eſſe credunt. Cic. lib. II. de legibus: Periurii pœna diuina exitium, humana dedecus. Apud Aegyptios capitale fuiſſe periurium, Diod. Siculus adſerit lib. II. c. 3. p. 100. Periuri capite multabantur, tanquam qui duplici tenerentur ſcelere, vt qui & pietatem in Deos violarent, & fidem inter homines tollerent, maximum vinculum ſocietatis humanæ. Placet idem plenius illuſtrare verbis Edoardi, Baronis Herbert de Cherburi, qui in libro, quem de religione gentilium ſcripſit, p. 123. de periurii pœna, ſimulque religione iurisiurandi diſſerit: Deos per Stygiam (inquit) paludem peierantes nouem millibus annorum puniri in Tartaro. Quas quidem fabulas (vti reor) confinxerunt olim Poëtæ, vt ſiue iuramentorum ſiue ſacramentorum (quæ iuramenta erant militaria) inuiolata eſſet fides, cum neque Dii ipſi periuri a ſupplicio immunes haberentur. Et quidem in omnes verſabatur partes olim religio, vt iuramenta conſtarent. Ideo ſupra ſacra & victimas ipſas in aris ardentes, gladio arrecto, vel cultro tali etiam in templo, & tali amictu induti iurabant olim gentiles, quin & multas alias res religioſas adhibebant, vt terrorem ita periurantibus incuterent. Atque hunc etiam in finem Iupiter Horcius inter Græcos tanquam iuramentorum præſes, fulmen manu tenens effingebatur, & Deus Fidius, ſiue Iupiter

## §. VI.

Cumque iuſtitiæ adminiſtratio maximum ad rempublicam momentum habeat, ipſa reſpublica vero, mutua imperantium & parentium contineatur fidelitate; mirum non eſt, quod principum, iudicum, ſubditorum iuramenta aliis plerisque antiquiora reperimus. Athenienſes n), Lacedæmonii, o) Romani p) aliique plures populi

piter inter Romanos, qui illum ſanctum vocabant, cuius ſimulacrum ita repræſentatur, vt ad dextram virilis imago eſſet honoris; ad ſiniſtram muliebris imago virtutis, cui etiam templum dedicatum fuiſſe narrat Dion. Hal. l. 9. Conf. Grotii comment. ad Matt. 5. p. 106.

n) Heraclid. de polit. p. m. 503. Sunt & nouem archontes, ex quibus Theſmothetæ ſex, qui ſimul ac probati eſſent, ſolemne iuramentum præſtare ſolebant, iuſte ſe in magiſtratu verſaturos, dona non accepturos, nec auream ſtatuam poſituros. Quod idem adfirmat Iul. Pollux in Onomaſt. gr. lat. P. II. l. VIII. c. 9. Segm. 86. Theſmothetæ ſex iurabant apud porticum regiam, quæ eſt lapidea, ſe leges obſeruaturos, & munera non ſumturos, aut auream perſoluturos ſtatuam. Deinde in Acropolin profecti eadem iurabant. Heliaſtarum, ſeu ſummi iudicum ordinis apud Athenienſes iuramentum refert Seldenus de Synedr. p. 464. it. Demoſthenes in orat. aduerſus Timocratem. p. 481.

o) Nicol. Cragius de republica Lacedæm. lib. II. p. 99. Xenophontem ſequenti modo de regum ac ſubditorum iuramento loquentem facit: Singulis menſibus, iureiurando ſe inuicem adſtringunt, Ephori quidem ciuitatis nomine, rex autem ſuo. Iusiurandum vero regis eſt: Secundum conditas reipublicæ leges ſe imperaturum; ciuitatis autem: Rege iusiurandum inuiolatum ſeruante, regnum inconcuſſum ſeruare; conf. Io. Nicolai diatribe de iuram. Hebr. Græc. Romanor. p. 182. ſqq.

p) De Conſulum Romanor. ſenatorum & iudicum iureiurando vid. id. Nicolai, p. 191. Tacitus L. 20. Ludouici de præcipuis iurisiurandi formulis, §. 7. inprimis Valer. Max. aliisque plures, quorum non nulli formulam iuramenti ſenatorum adferunt. Sigonius de antiq. iure Rom. P. II. p. m. 568. ait:

populi exemplo eſſe poſſunt, qui principes non admiſere niſi iuratos, neque a iuramento fidelitatis immunes ipſi eſſe voluerunt. q) Verum hæc omnia illuſtrationis inſtar, præmiſimus, vt viam nobis panderent ad illam rem, quam curatius explicandam nobis ſumſimus. Nulli enim in hac de iuramentis doctrina ita ab ouo ordiemur, vt eam penitus exhauriamus, cui labori ante nos, abunde ſatisfecerunt viri doctiſſimi, quorum, ſi placet, opuſcula cupidus lector adeat. r)

§. VII.

ait: Subſcriptione perfecta, iurabant in leges iudices, vt obſtricti religione iudicarent. Anton. Thyſius, in Rom. illuſtr. c. 9. p. 20. Primis etiam his diebus in leges iurabant (conſules) ſicut & reliqui magiſtratus omnes: nec fas cuiquam, magiſtratum vltra quinque dies gerere, niſi qui publice id iuramentum præſtitiſſet. Plinius Paneg. c. LXIV. p. m. 1258. de iuramento Traiani in conſulem electi, fuſius loquitur: Imperator & Cæſar & Auguſtus, Pontifex maximus, ſtetit ante gremium conſulis; ſeditque conſul, principe ante ſe ſtante, & ſedit inturbatus, interritus. Quin etiam ſedens præbuit iusiurandum, & ille iurauit, expreſſit, explanauitque verba, quibus caput ſuum, domum ſuam ſi ſciens fefelliſſet, Deorum iræ conſecraret. Add. c. 65. In roſtris quoque ſimili religione ipſe te legibus ſubieciſti Cæſar, quas nemo principi ſcribit. Quo ipſo Plinius innuere videtur, bis hoc iuramentum præſtitum fuiſſe, tum ſtatim poſt obſignationem, in manum conſulis; tum in roſtris, toto populo audiente.

q) Nicolai l. c. p. 183. Nulli etiam ciues Athenienſes absque iuramento in album ciuitatis recipiebantur, ſed ex parentibus ciuibus nati adultiores iuramentum præſtare tenebantur. Integrum hoc iuramentum refert Pollux in Onomaſt. lib. VIII. c. 9. n. 25.

r) Huc inprimis pertinent Sanderſon, theologus Anglus de iuram. promiſſ. oblig. Borchold de iureiurando, Bœhm. ius eccleſ. Prot. tit. de iurei. Pufend. de I. N. & G. lib. IV. c. 2. Eberti hiſt. iuramentorum, Io. Sam. Stryck. meletem. iuram. Grotius de I. B. & P. lib. 1. c. 13. Haſſen de iuramento academico, aliique plures, quos hic non commemoramus.

s) Mül-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0022-5

## §. VII.

Nobis, hic, alium finem ante oculos habentibus id potiſſimum agendum, vt ex ipſis antiquitatum fontibus genuinam primitiuæ eccleſiæ, doctorumque, quos patres vocare ſolemus, mentem atque praxin circa iuramenta paullo penitius eruamus. Accidit enim, neſcio, quo caſu, vt erudituſſimi viri, quorum in antiquitatibus eccleſiaſticis indagandis, alias magna fuit cura, ſententiam patribus tribuerent, a qua, ſi non omnes, plurimi tamen, & ſaniores alieni prorſus fuerunt. Nimirum primæuos aiunt chriſtianos nimis rigide s) ad verbum & litteras, ſeu κατὰ πόδα intellexiſſe verba Saluatoris, Matth. V, 34. Ἐγὼ

s) Müllerus in theatr. comit. ſub Maximil. I. T. 1. c. 46. p. 469. §. 15. Dieſe Sprüche nahmen die erſten Chriſten in einfältigem Gehorſam, und wolten gar nicht ſchweren. Gundlingiana P. IV. n. 1. p. 286. die erſten Chriſten haben dafür gehalten, ſie dürften und könten nicht ſchwehren, weil Chriſtus ſagt Matth. 5. μὴ ὀμόσαι ὅλως. - - - Ob ich mich nun zwar über die Auslegung der Worte Chriſti in keinen Zanck einlaſſen will, ſo halte ich doch dafür, daß die erſten Lehrer der Kirchen, welche ſich bisweilen alzuſtarck an den Buchſtaben der Schrift gehalten, dergleichen Meynung zugethan geweſen. Ioh. Barbeyracius plurimis P. P. hanc ſententiam tribuit, tum in præf. gallicanæ edit. Pufend. I. N. & G. præmiſſa, tum in libro, quem inſcribit: Traité de la morale des peres de l' égliſe 4to Amſt. 1728. vbi c. 2. ait: Les paroles de nôtre Seigneur, ou il ſemble abſolument défendre de jurer, ont été un écueil, dans lequel pluſieurs péres ont donné - - - faute de faire attention à la ſuite du diſcours, qui ſeul auroit dû les obliger à reſtreindre convenablement la géneralité des termes. Reos inprimis huius erroris facit Iuſtinum Martyrem, Tertullianum, Baſilium, quos ſane ſecus ſenſiſſe, ſtatim oſtendemus. Sandius in interpret. paradox. quatuor Euangel. p. 22. in ea ſententia plurimos P. P. fuiſſe affirmat. Quod etiam Walchius in lexico philoſ. p. 871. indigitare videtur.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0023-1

Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, μὴ ὀμόσαι ὅλως· μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, ὅτι θρόνος ἐστὶ τοῦ Θεοῦ· μήτε ἐν τῇ γῇ, ὅτι ὑποπόδιόν ἐστι τῶν ποδῶν αὐτοῦ· μήτε εἰς Ἱεροσόλυμα, ὅτι πόλις ἐστὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως· μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σου ὀμόσῃς, ὅτι οὐ δύνασαι μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι. Ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, Ναὶ ναί, Οὒ οὔ· τὸ δὲ περισσὸν τούτων, ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν. *Ego vero dico vobis, ne iurate omnino, neque per cœlum, quia thronus DEI eſt, neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius, neque per Hieroſolymas, quia vrbs eſt magni regis, neque per caput tuum iures, quia non potes vnum capillum album aut nigrum facere. Eſto autem ſermo veſter, etiam, etiam, non, non: Quod autem ſupra hæc redundat, a malo eſt.* Vnde porro contendunt, ſæculis poſt Chriſtum natum tribus vel quatuor primis omnem indiſtincte iuramentorum vſum in eccleſia interdictum, t) imo nefas aliquod & homine chriſtiano minime dignum iuramentum habitum fuiſſe.

§. VIII.

t) Eandem inprimis ſententiam fouet, eamque compilatis pluribus P.P. dictis, probare ſummo ſtudio nititur B. Arnoldus, in der wahren Abbildung der erſten Chriſten im Glauben und Leben, lib. V. c. 6. p. 49. ſqq. ſed eruditus vir, cuius alias in ſcrutandis eccleſiæ antiquitatibus magna fuit induſtria, hic non ſatis accuratum videtur egiſſe interpretem. Quod apparebit, quando eadem loca pro noſtra ſententia citabimus, quæ pro contraria ſtabilienda ipſe adduxerat. Neque Io. Sam. Strykius remotus omnino fuit ab iſta opinione, vti videre licet in meletem. I. de eo, quod iniuſtum circa iuramenta extraiudicialia. Mullerus l. c. Ja die erſten Chriſten wurden von den Heyden eben daran erkannt, weil ſie keinen Eyd ablegen wolten. Wie denn Euſebius lib. VI. c. 4. von dem Märtyrer Baſilide erzehlet, daß er ſich eben damit bey den Heyden verrathen habe, daß er ein Chriſt wäre, indem er auf Erfordern nicht ſchwören wollen. Quod tamen Baſilidis exemplum hic non ſatis quadrat, vtpote qui æque ac reliqui Chriſtiani, renuebat ſaltem in verba Idololatrica (quorſum omnia fere iuramenta pagana tum temporis pertinebant) iurare, non vero quodcunque iuramentum peccatum

§. VIII.

Huic ſententiæ, ſpecioſis argumentis munitæ, in doctorum verba iurantes, licet ipſi adhuc adſtipulati fuerimus; iam tamen a nobis impetrare non poſſumus, vt adſenſum diutius præbeamus. Etenim ſimulac clariſſimorum quorundam virorum beneficio, ad ipſos antiquitatum fontes, aditus nobis patefactus eſt; non ſatis eam firmis niti fundamentis, deprehendimus. Contrarium potius, tum hiſtoriarum monumenta, tum ipſa patrum dicta, iuſto ordine curatius examinata non indigitabant, ſed luce meridiana clarius probabant. Vnde miſſa præconcepta opinione, priori mutata ſententia, victrici manus dedimus veritati.

§. VIIII.

tum eſſe dicebat. Addo, eum vtique in caſu propoſito peccaſſe, ſi nullius momenti negotia, quæ inter ipſum & commilitones agebatur, iuramento confirmaſſet, quod Chriſtus expreſſis verbis prohibuerat. Inprimis vero huc pertinet Robertus Barclaius Anglus, Quakerorum ſectæ deditus, qui in Apologia Theologiæ vere Chriſtianæ, Carolo II. regi oblata p. 354. Syluam patrum adfert, quos omnes iuriſiurandi vſum reieciſſe vult, ideoque inuehit in Chriſtianos hodiernos, a prima ſimplicitate apoſtatas. Haud dubie (ait) omnes eruditi doctores quarumcunque ſectarum norunt, prædicta Chriſti verba in tribus prioribus ſæculis poſt Chriſtum natum, de prohibitione quorumuis iuramentorum ab antiquis patribus intellecta fuiſſe. Non iniuria ergo miramur, papales doctores & ſacrificos iuramento ſe obſtringere, quod velint ſcripturam ſacram ſemper explicare ſecundum vniuerſalem expoſitionem antiquorum patrum, qui tamen textus controuerſos in genere aliter intellexerunt, ac iſti moderni doctores hodie faciunt - - - vtique illi a fide Eccleſiæ priorum trium ſæculor. in puncto de prohibitione iuramentorum deſciuerunt. Reliquos nouiores Dd. hanc defendentes ſententiam, quorum ſcripta in omnium ſunt manibus, hic referre nolo.

§. VIIII.

Certo enim certius nobis conſtare videtur, eandem verborum Chriſti explicationem in primitiua eccleſia locum habuiſſe, quam quæ hodie a Theologis & ICtis recepta eſt, eoque redit: *Non temere iurandum, neque in leuiſſimis & nullius momenti negotiis licere ad DEVM prouocare; in arduis tamen & grauioribus cauſis iuramentum, inprimis a magiſtratu imperatum, omnino licere.* Cui ſi quædam forte patrum loca omnino contraria videantur; illa, vel ex aliis eorundem patrum dictis clarioribus, explicanda, vel pro ſingulari cuiusdam philoſophia u) habenda, vel denique pro ſubſtrata materia, de idololatricis iuramentis intelligenda, omni adſeueratione contendo.

§. X.

Neque ego nouæ huiusce ſententiæ primus auctor ſum. Plures ante nos viri eruditiſſimi (quorum veſtigia terere ſatis digne non poſſumus) in ſcriptis paſſim idem adſerere ſategerunt. Præter laudatum enim Binghamum,

u) Binghami orig. eccl. lib. XVI. c. 7. p. 354. Chryſoſtomus quidem & alii nonnulli in vulgarem iurandi conſuetudinem inuehentes, nonnunquam rem eatenus videntur extendere, vt Chriſtianis in quacunque cauſa iurandi libertatem abiudicent. Sed vero quascunque opinones priuatas pauci quidam hac de re fouerunt (in quibus ipſi ſibi non conſtiterunt) vti viris doctis obſeruatum eſt. Idem adſerit Cauius im erſten Chriſtenthum P. III. c. 1. p. 455. Zwar haben einige von den Alt-Vätern um dieſer Urſachen willen, und inſonderheit aus dem Mißverſtändniß ein und andrer Oerter der heil. Schrift . . . dafür gehalten, daß aller und ieder Eydſchwur ſchlechterdinges unrecht ſey; Allein zu geſchweigen, daß die wenige, die ſolches bejahet, mit ſich ſelbſt nicht einig geweſen, indem der gröſte Theil andere Gedancken gehabt, und entweder das Schweren bey den Creaturen, oder das leichtſinnige und falſche Schweren verſtanden haben.

x) Bingh.

mum, x) & Ioſuam Arndtium y) Calmetum z) Bebelium aa) Cauium bb) alios plures conſentientes habemus. cc) Quorum (ſi opus eſt) auctoritas theſin noſtram forſan commendabit. Sed ipſa ſeſe defendet veritas, teſtimoniis exceptione maioribus fideliter collectis, iamiam deducenda.

§. XI.

x) Bingh. l. c. Non generatim omne iusiurandum, nec ſingularem aliquem temere & inconſiderate iurandi actum (niſi forte cum grauiore crimine vt apoſtoſiæ, idololatriæ, periurii ſimilisque delicti noxa coniunctum) ſed habitum tantum & aſſiduitatem iurandi intelligebant. - - - Certum eſt, nullam publicam eccleſiæ regulam datam fuiſſe, quæ hoc prohibuerit, multo minus quæ id cenſura eccleſiaſtica puniri iuſſit. Plerique omnes Chriſtiani iusiurandum in cauſa neceſſaria ad confirmandam veritatem exigere vel præſtare, in rebus licitis poſuerunt, vt tum ex ipſis legibus eccleſiaſticis & ciuilibus: tum ex generali conſuetudine apparet.

y) Qui in lexico antiquit. eccl. p. 560. Sed tamen iuraſſe veteres Chriſtianos certiſſimum.

z) Calmet commentaire litteral ſur tous les livres de l' ancien & du nouveau teſtament. in locum Matt. 5. v. 33. 34. p. m. 116. ſqq. Mais les apôtres & la plupart des péres n' ont jamais entendu, que le jurement fut entiérement interdit à toutes ſortes de rencontres &c. ils vouloient corriger l' abus ſi ordinaire dejurer pour des choſes de néant, & pour des intérets de nulle conſequence.

aa) Qui in antiquitatibus eccl. paſſim idem adſerit inprimis ſect. II. art. 3. p. 294. ſec. III. art. 13. p. 787. ſec. IV. art. 8. p. 469. it. artic. IX. p. 842.

bb) Caue l. c. Denn daß ſonſt auſſer dem die erſten Chriſten nicht für unzuläßig gehalten, in wichtigen und ernſthaften Dingen einen Eydſchwur zu thun, iſt mehr als zu klar. Paulo poſt: Alſo ſehen wir nun, daß ſich die erſten Chriſten nicht geweigert haben, ihren Glauben durch einen ordentlichen Eyd zu beſtärcken. Add. Seldenus de Synedr. it. Fleury dans l' hiſtoire eccleſ. tom. I.

cc) Poli ſynopſ. critic. tom. IV. p. 162. Veteres Chriſtiani ſæpe ita loqui videntur, quaſi nulla admittenda eſſet exceptio; ſed benigna

inter-

§. XI.

Equidem non ignoro, contrariam communem ſententiam purioris eccleſiæ laudibus, a quibusdam adnumerari; dd) quod nimirum exceptionibus deprauatæ rationis, eiusque fallacibus vtplurimum regulis hermeneuticis non indulſerint, ſed ſimplicem & cœcam pariter ac promtam verbis Chriſti præſtiterint obedientiam. Cum vero ex veteri illo canone, amicus nobis Tertullianus, amicus Baſilius, amici omnes denique patres, magis tamen amica ſit veritas, (cuius vbique omnium maxime habenda eſt ratio) nemo mirabitur, me veris & indubiis teſtimoniis fultum, ſpecioſum hunc errorem debellare conari. Taceo laudem non mereri, verbis Seruatoris mentem alienam plane, eamque prorſus erroneam ee) affingere. Hoc potius encomio dignum, quod primi chriſtiani ſummi doctoris verba genuine fuerunt interpretati,

interpretatio illorum quoque dictis debet ſuccurrere. Io. Voſſius hiſt. Pelagian. lib. V. p. II. theſ. 2. p. 723. tom. opp. VII. Itaque concludebant patres, non omni iuramento interdicere Chriſtum etiam illo, quod in adſerendo veritatem, in promittendo iuſtitiam, vtrobique iudicium, ſeu diſcretionem ſeruat; ſed eo ſolum, quod per Deos falſos vel creaturas proprie fit; vel per verum Deum quidem, ſed temere aut leuiter. Idcirco negant iuramentum eſſe rem bonam & per ſe expetendam, negant item, eſſe rem malam, & omnibus modis auerſandam; ſed cenſent, eſſe rem ἀδιάφορον, attamen periculoſam, eoque caute vſurpandam, ac tum demum, cum aliqua vrget neceſſitas. Optime ſane hic autor patrum ſententiam ex ipſorum ſcriptis hauſit. Conueniunt hæc verba cum illa, quam in fine §. præc. propoſui mentem.

dd) Quod inprimis Arnoldum feciſſe conſtat, it. Strykium loc. cit.

ee) Ipſi enim diſſentientes in illa, quam eccleſiæ primæ tribuunt, ſententia, eandem valde erraſſe profitentur.

pretati, omnemque nauarunt operam, vt vitam ad hanc amuſſim componerent.

§. XII.

Videamus igitur, quænam ex primis poſt Chriſtum natum ſæculis ſuperſint praxeos & doctrinæ chriſtianorum de iuramentis indubia veſtigia, quæ omni, qua par eſt, fide, iam examinemus. Licet in principio ſtatim maxime ſit dolendum, quod illorum temporum hiſtoria quam pauciſſimos, immo fere nullos nacta fuit ſcriptores, quorum auxilio, in inueſtigandis chriſtianorum moribus, tuto vti poſſemus. Confiteri enim non erubeſcimus in ſæculo I. vix ac ne vix quidem vnum atque alterum extare teſtimonium, pro ſtabilienda noſtra ſententia. Cum vero eadem ſit contra ſentientium conditio, parique defectu & inopia in his antiquiſſimis monumentis laboremus vtrique, liquido patet, ex hac penuria neque illorum opinioni aliquid accedere, neque noſtræ quidquam decedere; præſertim cum non nihil tamen pro nobis allegare poſſumus.

§. XIII.

Primum teſtimonium magnus ille gentium apoſtolus præbet, qui ad Hebr. VI, 16. Ἄνθρωποι μεν γὰρ κὰτ τοῦ μέιζονος ὀμνύ υσι, καὶ πάσης ἀυτοῖς ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβάιωσιν ὁ ὅρκος. ait ff) *Nam homines quidem per eum iurant, qui ſit maior*

ff) Taceo, quæ de Saluatoris ipſius iuramentis Tilotſonius Anglus in concionibus P. I. p. 437. aliique plures adferunt. Neque meam facio litem inter eruditos pro & contra ventilatam, vtrum ἀμὴν illud a Chriſto ſæpius vſurpatum iusiurandum ſit, an vero non. Quæ omnia non niſi remote huc pertinentia ex antiquitatibus Iudaicis ſolide ſatis ab aliis eruta, breuitatis ſtudioſi, hic omittimus. Cupidus lector adeat de hac materia diſſerentes: Fullerum in miſcell. ſacris lib. 1. c. 2. Io. Nicolai Diatribe de iuram. Hebr. Græc. Rom. aliorumque populorum p. 114. & inprimis Iean la Placette lib. cit.

 cuius

*maior. Atque iisdem omnis controuerſiæ terminus eſt iusiurandum, ad confirmationem adhibitum.* Diſſerit vir diuina ſapientia

cuius deciſio mihi amplectenda videtur. Conf. Halterman de formulis iuramentor. Hebraicor. §. 5. Tillotſon, auserleſene Predigten P. I. p. 418. ſq. ad h. l. Der Apoſtel nimmt es für bekannt an, daß der Eyd unter den Menſchen nicht allein vom ſehr gutem Nutzen, ſondern auch von einer groſſen Nothwendigkeit ſey, etwas auſſer allen Zweifel zu ſetzen, und den Streitigkeiten ein gutes Ende zu machen, die ſonſten auf keine andere Weiſe zum Vergnügen der ſtreitenden Partheyen geſchlichtet und gehoben werden können. Vir eruditiſſimus la Placette l. c. p. 26. quidem putat, minus recte illa verba Pauli, pro licentia iurandi demonſtranda allegari cum ſtylo relatiuo, illuſtrationis ſaltem gratia ab Apoſtolo adferantur. *Pluſieurs preſſent extremement ce que dit St. Paul Hebr. 6. 16. - - - Mais s' il m' eſt permi de dire ce que j'en penſe, je crains, que cette preuve ne ſoit pas ſolide. En effet St. Paul parle uniquement du fait & non pas du droit. Il remarque ſeulement ce qui ſe pratique parmi les hommes, mais il ne dit pas, ſi ce qu' ils pratiquent, eſt bon ou mauvais.* Neque argumentum inde deſumtum valere ait, quod non improbauerit Apoſtolus morem illum, cum eadem dicendi ratione vſus ſit, ludorum gentilium, (quos procul dubio reiiciebat) mentionem faciens, nulla addita reprehenſione. Pergit enim: *C' eſt ce qu'on avoue, mais on prétend, qu' il approuve indirectement ce qu' il dit, que les hommes font; puisque d' un coté il ne le condamne pas, & que de l' autre il s' en ſert pour eclaircir ce qu' il dit. Mais ceci n' eſt pas plus convainçant que le reſte. N' eſt il par vrai, que l' Apôtre produit la conduite des Athlêtes de la Gréce, pour appuyer ce qu' il ordonne aux Corinthiens, & le produit ſans le condamner? On peut cependant s' aſſurer, que St. Paul n' approuvoit nullement ces vains amuſements des grecs de ſon tems. Ainſi cette preuve n' a rien qui ſoit tant ſoit peu preſſant.* Cum vero hic nondum de ipſa agamus moralitate, ſed factis ſaltem probare contendamus, iuratum fuiſſe ſeculo I. nos hoc monitum non tangit; licet contradictione non careat, cum inſtantia de Athletarum exemplo, a Paulo prolata, hic non ſatis quadret.

gg) Id

pientia præditus, de vſu iuramentorum vbique recepto, tamquam de re extra omnem controuerſiam poſita; nullam tamen addit reprehenſionem; quod certe feciſſet, ſi Chriſti doctrinæ repugnare crediddiſſet. Quid? quod ipſum non ſemel, gg) ſed multoties in epiſtolis iurantem 3) audiamus? Scribit ad Rom. I, 9. Μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ Θεὸς, ᾧ λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου &c. *Teſtis eſt mihi DEVS, quem colo ſpiritu meo*, in Euangelio filii ipſius, me perpetuo mentionem facere veſtri. It. 2 Cor. XI, 31. Ὁ Θεὸς καὶ ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ οἶδεν, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ὅτι οὐ ψεύδομαι. DEVS & pater Domini noſtri IEſu Chriſti, benedictus in ſæcula, nouit, me non mentiri. Ad Philipp. I, 8. Μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ Θεὸς &c. Teſtis enim eſt mihi DEVS, quantopere expetam vos omnes in viſceribus IEſu Chriſti. Similiter ad Cor. II. cap. I, 23.

gg) Id. auctor Gallus l. c. p. 23. Mais voici une preuve, à laquelle il n'y a rien à oppoſer. S. Paul, qui étoit ſi bien inſtruit des verités du ſalut & des droits de la conſcience; & qui d'ailleurs s'eſt donné pour modéle aux plus avancés dans la voie du ciel, leur diſant: Soyez mes imitateurs comme je le ſuis de Chriſt: cet Apôtre a juré en diverſes occaſions, & ce qu'il y a de conſiderable, a inſeré ſes ſerments dans quelques unes de ſes épitres, qui ſont la régle de nôtre foi. Tillotſon. l. c. p. 435. Der H. Apoſtel rufet öfters in ſeinen Briefen bey wichtigen Sachen GOtt zum Zeugen an, daß er die Wahrheit rede, welches nichts anders denn ein rechter Eyd iſt. Citat deinde loca quædam Paulina, tandemque concludit: Dieſes alles ſind ohnſtreitig Eydſchwüre. Wie aber ſolte der Apoſtel ſich derſelben bedienet haben, wenn ſie der Lehre unſers Heylandes wären zugegen geweſen. Grotius in annotatt. ad Matt. c. 5. v. 38. p. m. 106. Iurauit Paulus, at non in re ſua, non in re modica alterius, ſed in negotiis maximi momenti, ad Deum & ſalutem aliorum pertinentibus. Eadem hæc verba habet Polus in ſynopſ. critic. l. c.

4) Ἐγὼ δὲ μάρτυρα τὸν Θεὸν ἐπικαλοῦμαι ἐπὶ τὴν ἐμὴν ψυχὴν hh) ὅτι &c. Ego vero teſtem DEVM voco in meam animam, me idcirco nondum veniſſe Corinthum, quod vobis parcam. Quæ omnia loca, iunctis aliis pluribus Apoſtoli effatis, in quibus recenſendis non copioſus ero, abunde probant, eum a mente eorum, qui prorſus omnem indiſtincte iurisiurandi vſum, in nouo fœdere prohibitum eſſe contendunt, adeo fuiſſe alienum, vt ipſo facto contrarium demonſtrauerit. ii)

## §. XIV.

Nullus quidem ignoro, multos, eosque magnos, diſſentire viros, qui hæc omnia Pauli dicta non pro iuramen-

hh) Dn. Ioach. Langius in Apoſtol. Licht und Recht ad hunc locum p. 355. Es hat dieſe ſo gar nachdrückliche Betheurung Pauli, die Form eines Eydes . . . Der Apoſtel bedienet ſich ſolcher hohen Betheurung mehrmalen, und muß er ſie ohne Zweifel alle nöthig befunden haben. Notatu dignum, quod expreſſam hic addiderit Paulus imprecationem. Certo certius eam continent verba: ἐπὶ τὴν ἐμὴν ψυχὴν; quod cum aliis commentatoribus, in quorum meditationibus recenſendis iam non morabor, recte obſeruat Polus ſynopſ. erit. comment. ad h. l. p. 533. *Eſt iuramentum perfectum. Huic addit execrationem, ſiue maledictum in animam meam*, i. e. *in caput meum, ſiue vitæ meæ periculo, vel in perniciem animæ meæ, cum maximo meo malo, ſi fallo.* Vnde interpres Italus, Iohannis Diodatti, in notis ad h. l. ſatis opportune hanc paraphraſin addit: *ſopra l'anima mia, ſottomettendo la mia perſona al ſuo giudicio.*

ii) Gratian. c. 2. C. 22. qu. I. Apoſtolus Paulus nouerat præceptum Domini, & iurauit tamen. Non enim audiendi ſunt, qui has iurationes eſſe non putant. Quid enim facient de illa? Quotidie morior per veſtram gloriam, fratres, quam habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. c. 26. X. de iurei. Apoſtolus quoque iurabat, cum diceret: Teſtis eſt mihi Deus, Rom. I. & iterum: Quotidie morior per gloriam veſtram, fratres: quæ græca exemplaria manifeſtiſſimam iurationem eſſe oſtendunt.

kk) Gre-

mentis, ſed obteſtationibus tantum, & grauiſſimis adſeuerationibus, kk) vt vocant, habenda putent. Verum examinatis, quas allegare ſolent, rationibus, easdem minime ſtringentes deprehendi, neque mihi ipſe perſuadere potui, vt ipſorum ſententiæ accederem. Scilicet aiunt; a) ad eſſentiam iuramenti neceſſario pertinere, ll) vt

kk) Gregor. Nazianzenum Ebertus lib. cit. p. 80. b) ita loquentem facit: Ea Pauli verba non iuramentum ſunt, ſed adſeueratio quædam, tantis in rebus conſtans & inuiolabilis. Mire ſe torquet Barclaius l. cit. in explicatione horum Pauli verborum. Negat iuramenta eſſe. Sed rationes adfert magis ridiculas quam ſolidas. Tandem ſequentem in modum concludit. Poſito (ſed non conceſſo) Paulum vere iuraſſe; nihil inde ſequitur pro defendendis iuramentis. Non enim quæritur, quid Paulus, quid Petrus fecerint, ſed quid Chriſtus iuſſerit. Vnde ſi Paulus iuraſſet, vtique peccaſſet. Quæ concluſio omnibus nominibus reiicienda. Caſtigatus Barclaius a laudato Placetio, qui l. c. p. 25. ait: Quoi? Barclay ſait il mieux que S. Paul ce que Jeſus Chriſt avoit ordonné? & peut on d'un autre coté s'imaginer, que ſi S. Paul avoit ſu, que Jeſus Chriſt eut defendû de jurer, il eut voulû le faire meme ſi ſouvent, & ce qu'il y à de particulier, inſerer ſes ſerments dans des epitres Canoniques, qui devoient etre la regle de notre foi & de nos actions.

ll) Ebertus l. cit. p. 211. poſtquam plures attulerat iurisiurandi definitiones, tandem concludit: Hæ definitiones tametſi egregiæ ſunt, quia tamen - - - & deinde ad pœnam obligationis mentionem non habent, ideo imperfectiores ſunt. Licet enim ei, qui aſſertionis ſuæ teſtem Deum habet, maiore aliqua probatione opus non ſit, quia tamen homo ψεύςης ſ. mendax, Deus autem inconſpicuus eſt, nec ſciri poteſt illico, anne is capite & ſupercilio annuat, vt fidem habere poſſis: ideo execrationem quoque addere neceſſe eſt, qua ad veritatem dicendam ſe ipſos adigant iurantes, & ad fidem adhibendam velut impellant auditores, cum nemo ſibi ipſi extremum exitium imprecari velle videatur.

vt DEVS in vindicem quoque vocetur; quod tamen a Paulo locis citatis omiſſum putant. b) Quodſi toties Apoſtolum iuraſſe diceremus, quoties ad DEI teſtimonium prouocauit, vtique ſequeretur, eum temere iusiurandum adhibuiſſe rebus nullius momenti, atque ſic præcepta Chriſti neglexiſſe; quod tamen non ſine ſancti doctoris inſigni macula & ignominia dici poſſet. Primum argumentum ipſa noſtra definitio, ſupra poſita atque defenſa, ſatis refellit. Eſt enim petitio principii, inuocationem DEI in vindicem expreſſam neceſſario pertinere ad iuramenti eſſentiam, vtpote, quod minime admittendum demonſtrauimus. Sufficit inuocatio, aut ſi mauis, prouocatio ad DEVM teſtem, qua ſimul tacite vindicta expoſcitur, vel inuito & nolente ipſo iurante. mm) In hoc enim conſiſtit DEI teſtimonium, vt pœnam infligat peieranti. Quo poſito ſatis adparet, vera vtique eſſe Pauli iuramenta, licet imprecationem expreſſam non contineant. Taceo, quæ ſupra ad 2 Cor. I, 23. monui, quo loco etiam explicitam vindictæ mentionem fieri ſatis conſtat, vti in notis præc. oſtendi.

§. XV.

Alterum argumentum infirmioribus nititur fundamentis, facilique labore elidi poterit. Quis enim quæſo id ſibi arroganter ſumet, vt iudicare queat, vtrum cauſæ, quibus adſeuerationes iſtas iuratorias adhibitas videmus, magni,

mm) Quod id auct. l. c. p. 22. largitur, licet antea multa pro neceſſitate execrationis, ſiue vindictæ mentionis, attuliſſet, in fine tamen ait: Sed poſſis tamen κατάραν alicubi ſub ἐκμαρτυρίᾳ comprehendere, cum is, qui Deum teſtem vocat, ſi vera dicat, ſynecdoche quadam, & per ſenſum contrarium, Deum contra ſe citat, ſi falſa dicat. Vnde Pauli iuramenta quoque inter vera iuramenta refert.

nn) Tacit.

magni, an vero nullius momenti fuerint. Scimus, Paulum fuiſſe virum ſpecialiſſima Spiritus S. luce & θεοπνευςίᾳ præditum, qui ſibi ipſi ingenio aut affectui minime indulſit, neque cerebri fœtus propoſuit, ſed ἐλόγια τῦ Θεῦ, DEI ipſius verba protulit. Quomodo ergo de neceſſitate atque dignitate rerum, de quibus agit, omnium circumſtantiarum prorſus ignari, iudicare poſſumus? Concedendum potius Apoſtolo, eum nunquam temere, aut ſine ſufficiente ratione quidquam egiſſe. Addo, numquam omnino negotia, in quibus ſalus æterna animarum verſatur, parui habenda, ſed inter maxime ardua, maximique momenti referenda eſſe; qualia erant Apoſtoli noſtri. Quodſi itaque in rebus tam magnis tamque neceſſariis iurauit, temere iuraſſe minime dici poteſt. Sed hæc de Pauli iuramentis ſufficiant, a quibus ſi diſceſſerimus, parum admodum ſupereſt, quod de hac re in primo ſæculo adduci poſſit.

## §. XVI.

Vnum tamen fide dignum ſuppeditant hiſtoriæ profanæ argumentum, quod ſicco pede præterire non licet. Nimirum Tacitus nn) refert, imperatorem Veſpaſianum iuramentum fidelitatis ab omnibus Syriæ incolis ſub imperii ſui initium exegiſſe. Iam vero conſtat, multos chriſtianos tunc temporis in Syria fuiſſe, oo) qui ſi iuramentum præſtare detrectaſſent; vtique perduellionis

nn) Tacit. lib. II. hiſt. c. 21. Tota Syria fidelitatis iuramentum præſtitit Veſpaſiano imperatori.

oo) Quod vti ex hiſtor. eccl. patet, ita quoque locus Matth. 4. v. 24. oſtendit: Ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτῦ εἰς ὅλην τὴν Συρίαν, καὶ προσήνεγκαν αὐτῷ πάντας τὺς κακῶς ἔχοντας - - - καὶ ἐθεράπευσεν αὐτὺς. Tunc emanauit fama ipſius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male affectos - - - & ſanauit illos.

nis rei, contumaciæ pœnas dediſſent, de quo tamen omnes ſilent hiſtoriæ. Inde colligo, non in Syria tantum, ſed in aliis quoque prouinciis iuramentum fidelitatis, a Chriſtianis pariter atque ab aliis ſubditis, præſtitum fuiſſe.

§. XVII.

Sed obſtat noſtræ theſi locus Iacobi c. 5, 18. pp) quem paucis, antequam longius progrediamur, conſiderabimus. Alloquitur Apoſtolus duodecim populos Iſraëliticos, diſperſos in exilio, ad quos directa hæc epiſtola iuxta c. 1. v. 1. fere iisdem verbis, quibus dulciſſimus Seruator IEſus Chriſtus loco citato vſus fuerat. *Ante omnia* (ait) *fratres mei, ne iuretis, neque per cælum, neque per terram, neque aliud vllum iusiurandum: ſit autem veſtrum eſt, eſt, & non, non, ne in condemnationem incidatis,* ὑπὸ κρίσιν πέσητε. Sed neque hæc verba ita comparata ſunt, vt indicent, Iacobum in doctrina Chriſti enutritum omnes promiſcue iuratas reieciſſe adſeuerationes. qq) Potius de temerariis, friuolis, in communi ſermone adhiberi ſolitis iuramentis, ad ſanctiſſimi DEI nominis abuſum vtique pertinentibus loquitur, ſicut totius capitis contextus oſtendit, in quo regulas vitæ præſcribit fidelibus. Sed cum ipſam moralitatem iurisiurandi, & licitum

pp) Πρὸ πάντων δε, ἀδελφοί μου, μὴ ομνύετε, μήτε τὸν οὐρανὸν, μήτε τὴν γῆν, μήτε ἄλλον τινα ὅρκον· ἤτω δὲ ὑμῶν το ναὶ, ναὶ, καὶ το οὔ, οὔ· ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε.

qq) Poli Synopſ. Critic. Comment. in Iacobi p. 1396. ad hæc verba: Prohibetur iuramentum, non ſimpliciter & abſolute; nam alibi ſanctiſſimis viris & V. & N. Teſt. vſurpatur - - - ſed iuramentum præceps, ex impatientia ortum, temerarium, vſitatum, ſiue in familiari & quotidiano ſermone, vanum, & ſine iuſta cauſa. Tillotſon l. c. ad hæc verba oſtendit, quamnam interpretationem ſaniorem ea patiantur, pariter ac verba Chriſti ſupra adducta.

rr) Pro-

licitum eius vſum, in ſequentibus probatum ibimus, hic ſufficiat oſtendiſſe, contrariam primi ſæculi praxin ex hoc loco minime euinci poſſe.

§. XVIII.

Tranſitus iam ad Sæc. II. tempora faciendus, ſubſidiis hiſtoricis atque genuinis patrum ſcriptis æque carentia, quam Sæc. I. Plura enim deperditis adnumeranda, & quæ ad noſtram vsque ætatem conſeruata ſunt fragmenta, non pro genuinis eorum, quorum in fronte gerunt nomina, temere habenda; ſed inter ſpuria atque ſuppoſititia referenda. Aetatem tamen tulerunt, & veris omnium eruditorum conſenſu annumerantur Iuſtini Martyris opera, & Irenæi fragmenta, ſiue aduerſus hæreſes valent: & ſimilium libri, quos de iuramentis, quid ſentiant, audiamus. Primus in apologia pro Chriſti annis I. p. m. 63. ait: *Ne autem iuremus omnino, atque vera ſemper loquamur, ſic præcepit: Ne iuretis omnino, ſed ſit veſtrum eſt, eſt, & non, non: Quod vero vltra hæc additur, ex malo proficiſcitur.* Poſterior vero lib. 2. c. 57. p. 234. *Dominus non ſolum non periurare; ſed nec iurare præcepit.*

§. XIX.

Vtriusque philoſophi & epiſcopi verba primo quidem intuitu noſtræ ſententiæ contradicere, & diſſentientium firmare ſententiam videntur. Sed accuratius conſiderata alium longe produnt ſenſum. Non de ſeriis neceſſitate qnadam vel externa vel interna vrgente præſtitis, multominus de iudicialibus iuramentis & ſolemnibus loquuntur, ſed de leuiſſimis tantum, & iis, quæ in communi vita rebus minimis adhiberi ſolent, quæque a mendacio non longe abſunt. Subindicant hunc ſenſum ipſa Iuſtini verba, quæ addit: *ſed vt vera ſemper loquamur.* Idem enim eſt, ac ſi diceret: *Non ſolum Chriſtus prohibuit, ne periuremus, ſed ita nos vitam inſtituere vult, vt ſemper vera dicamus, nec*



collo-

*colloquiis & ſermonibus noſtris opus habeamus, adſeuerationes addere, ſed ſimplex affirmatio ad fidem conciliandam, vel, pro ſubſtrata materia, negatio ſufficiat.* Eandem forſan & Irenæi verba interpretationem patientur, licet adeo pauca ſint & ἐν παρόδῳ ſaltem prolata, vt non ſatis appareat, quorſum tendant. Id ſaltem contendo, pro contraria ſententia hæc nihil facere, cum Iuſtinus philoſophus, ſatis eruditus pariter ac Irenæus, ſi de reprobandis omnino iuramentis ſingularem ſtabilire ſententiam voluiſſent, clarius atque copioſius loquuturi fuiſſent, neque in tranſitu binis ſaltem verbis eam tacturi. Interim, ſi quis Irenæi verba aliter intelligere velit, pertinacem me non habebit aduerſarium, qui vtique facile largior, huius, vel illius D. ſententiam a communi eccleſia, vt in aliis materiis, ita & in hac, abiiſſe.

§. XX.

Sed miſſis hiſce dubiis, aliud forſan paulo certius illius ante commemorati temporis argumentum quæramus. Suppeditat illud Plinius ſecundus in epiſtolis ad Traianum imperatorem, lib. X. ep. 97. diſerte mentionem faciens ſacramenti, quo chriſtiani in cœtibus ſuis confœderatam diſciplinam firmabant. Ait enim, de chriſtianorum cauſis referens: *Affirmabant, hanc fuiſſe ſummam, vel culpæ ſuæ, vel erroris, quod eſſent ſoliti, ſtato die ante lucem conuenire, carmenque Chriſto, quaſi DEO, dicere ſecum inuicem, ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed* NE FVRTA, NE LATROCINIA, NE ADVLTERIA COMMITTERENT, NE FIDEM FALLERENT, NE DEPOSITVM APPELLATI ABNEGARENT &c. Multum ſane hæc epiſtola negotii faceſſit ſummis viris, qui in ea explicanda deſudarunt. Neque vlli labor magis ſucceſſit ex voto, quam Ill. Bœhmero, Viro in vtriusque iuris antiquitatibus verſatiſſimo, qui pe-

peculiari libello in eam commentatus eſt. rr) Locus inprimis, de quo nobis ſermo eſt, multis difficultatibus premi videtur, cum inter eruditos non ſatis conſtet, quid Plinio ſit: Sacramento ſe obſtringere; quam de iureiurando phraſin interpretari plurimi dubitarunt,

## §. XXI.

Nobis in tanta DD. incertitudine (licet temere aliquid determinare vix audeamus) maxime tamen probabilis, pluribusque ſuffulta argumentis videtur ſententia, quæ Plinium de vero iuramento loqui, illudque a chriſtianis ad confœderatam arctius firmandam diſciplinam præſtitum fuiſſe probat. Cui vt aſſentiar, tribus potiſſimum moueor rationibus. Prima quidem ita comparata, vt cuiuis latinitatis non ignaro facile probetur. Scilicet ſacramenti vox, quotiescunque a claſſicis ſcriptoribus, puta gentilibus, a chriſtianorum ſacris alienis, antiquiſſimis præſertim temporibus vſurpatur, ordinarie iuramentum denotat, neque facile alio ſenſu occurrit; quod ex Cicerone, Liuio, Tacito aliisque autoribus abunde liquet. ss) Iam vero interpretationis docent regulæ, a proprio vocis ſignificatu, non, niſi ſumma neceſſitate vrgente, recedendum eſſe. Hac igitur in explicatione loci Plinii deficiente, nullus video, cur nouum plane eumque inſolitum huic voci ſenſum tribuere malimus.

§. XXII.

---

rr) Prodiit hic liber Halæ Saxon. 1729. ſub rubro I. H. Bœhmeri XII. diſſertatt. iuris eccleſ. antiqui, ad Plinium Secundum & Tertullianum.

ss) Quod ipſe concedit ill. Bœhmerus. diſſ. III. p. 99. Equidem non ignotum eſt (ait) apud ſcriptores gentiles ſacramentum idem denotare quod iuramentum &c.



tt) Aug.

§. XXII.

Obſtant quidem diſſentientium argumenta, tt) quorum pondus iam examinabimus. Aiunt 1) de iuramentis verba Plinii intelligi non poſſe, cum ſatis ſit euictum, primos chriſtianos ab omni iuramentorum vſu abſtinuiſſe; quod argumentum principii petitionem inuoluens, cum hæc ipſa noſtra exercitatio ſubuertat, hic ſeparatim refellere ſuperſedeo. Aliud 2) ſuppeditat Baronius, uu) qui propterea de iuramento verba Plinii intelligi poſſe negat; quod ſecundum ipſius mentem nulla vetus oſtendi poteſt conſuetudo in eccleſia, qua, ne peccarent, iuramento adacti fuerint chriſtiani: ſed vereor, ne & hoc argumentum πρῶτον ψεῦδος inuoluat. Si enim probauerimus, Plinium de vero iuramento hic loqui, ſimul quoque conſue-

tt) Aug. Buchn. in not. ad Plin. h. l. voc. *ſacramento*, p. 193. Chriſtiani veteres doctrinam & inſtituta religionis ſacratiora, vt baptiſmum & cœnam, ſacramenta appellabant - - Horum itaque cauſa cum conuenirent Chriſtiani, Gentiles, non intellecta vocis vi, & eam more ſuo interpretantes iusiurandum aliquod ritibus illis, quo ſibi obſtringerentur inuicem, intercedere exiſtimabant, ac cœtus illos non tam ad rei diuinæ celebrationem, quam conſpirationem aliquam & factionem interpretabantur.

uu) Baronius in annalibus anno 104. n. IV. Quod vero ſe ſacramento dicit obſtringere Chriſtianos (Plinius ſc.) non ad ſcelus, ſed ne quidquam perperam facerent; non puto, de ſacramento iuramentum eſſe intelligendum, cum nulla vetus conſuetudo fuiſſe in eccleſia oſtendi poſſit, qua, ne peccarent, iuramento promittere Chriſtiani adigerentur. Vnde in eam potius adducimur ſententiam, vt exiſtimemus, idem eſſe apud Plinium ſacramentum, quod ſacrum ritum; verbisque Chriſtianorum locutum, ipſam ſacræ Euchariſtiæ ſumtionem ſacramentum appellaſſe, quod eam quidem non aliis impertirentur, quam iis, qui mundi eſſent, & vitæ prauæ abdicationem ſponderent in futurum.

xx) Bœhm.

ſuetudinem, quam Baronius in eccleſia fuiſſe negat, vtique nos probaſſe apparebit.

§. XXIII.

Aliam ſubſtituunt verborum Plinii explicationem, contendentes, ea vel de arctiſſima chriſtianorum vnione xx) vel de ſacro conueniendi ritu, vel de ipſa euchariſtia intelligenda eſſe. Verbis chriſtianorum loqui putant epiſtolographum, indeque ſecundum mentem chriſtianorum ea quoque interpretanda. Sed vix, ac ne vix quidem probari poterit, tempore Traiani imperatoris ſub initium ſcilicet ſæc. II. ſacramenti vocem in eccleſia receptam fuiſſe, quæ, niſi omnia me fallunt, æuo Tertulliani demum, longe tamen alio ſenſu, quam quo hodie, vſurpata eſt. Vnde neque ex ore chriſtianorum eam hauſiſſe Plinium puto. Taceo autorem epiſtolæ, quæ iudicialis inſtar relationis erat, ita ſcribere debuiſſe, & vere ſcripſiſſe, vt ab imperatore intelligeretur. Quodſi vero nouum, & non niſi inter chriſtianos cognitum, ſacramenti vocabulo ſenſum tribuiſſet, facile præuidiſſet, a Traiano minus iri intellectum, qui etiam ſine dubio explicationem petiturus fuiſſet; ſed minime factum eſſe, reſponſoria imperatoris ſatis oſtendit.

§. XXIV.

Sed aliud me vocat argumentum, ex ipſo chriſtianorum ſtatu deſumtum. Scilicet ad vnum omnes probant illius ſaltem temporis ſcriptores, chriſtianorum genus maxime reprobatum ſub imperatoribus gentilibus fuiſſe,

xx) Bœhm. l. c. p. 99. Aſt enim vero haud probabile eſt, Chriſtianos iureiurando ſe obſtrinxiſſe - - Dicendum itaque potius eſt, hac phraſi Plinium indigitare voluiſſe arctiſſimam illam Chriſtianorum & ſanctiſſimam conſociationem, quæ tum ſancte inter eos ſemper exculta fuit, vt ſacramento ſolemni æquipararetur.

fuiſſe, quibus, ne dicam, omnis omnino tolerantia, eius ad minimum potiores effectus ciuiles denegabantur. Magiſtratus auxilium contra immorigeros peccatores, & diuinæ legis transgreſſores implorare non poterant. Vnde facile adducor, vt credam, eos priuata diſciplina suppleuiſſe, quæ publica ipſis denegabat auctoritas. yy) Neque aliud accommodatius remedium excogitari potuiſſet, ad detinendos a ſceleribus (quorum rei aduerſariorum calumniis fiebant) ſocios, quam ipſum iuramentum, ceu arctiſſima ſtipulatio, quam ſeruare tenerentur.

§. XXV.

Impulit hæc ipſa conſideratio Seldenum, in tractatu de ſynedriis zz) vt putaret, non ea tantum, quæ Plinius

yy) Bœhmer. l. c. p. 101. Hæc confœderatio de abſtinendo ab omni crimine eo magis neceſſaria erat, quia tam enormia crimina puniendi ius nullum iis erat, & tamen nefas videbatur, illa inter eos, qui vnice vitæ inculpatæ ſtudere debebant, tolerare, quippe quibus res Chriſtianorum in grauius odium deduci poterant. Hac itaque confœderatione hoc agebatur, vt ſanctiſſime ſibimet inuicem promitterent, quod ab omni crimine abſtinere, moresque ad Chriſti doctrinam compoſitos induere vellent &c.

zz) Integrum Seldeni huc facientem locum apponere iuuat, ex lib. I. c. 8. p. m. 243. Quantum vero ex iure Cæſareo ſeu publico eis ſic negatum aut non conceſſum, non dubito, quin inter ſe ſupplerent ipſi ex iure priuato, ſeu pactis ac conuentis, etiam iuramento firmatis, quæ ad tuendam ſuam ſingularem diſciplinam inirent, quemadmodum vetuſtiores item alibi Iudæi iuxta capita ſuperiori oſtenſa. Certa veſtigia pactorum eiusmodi inter ſe, ſub eadem ipſa tempora habemus non ita obſcura, in Plinii II. epiſtola ad Traianum, ſub quo item perſecutio erat grauiſſima. Se ſacramento tunc obſtringere ſolere, (inde liquet) Chriſtianos conuiuentes, ne furta &c. Sic ab illis ipſis edoctus Plinius. Sed ambigere nequeo, quin & reliqua, inter ſe, ex diſciplina, quam amplexabantur, obſeruanda, in pari,

Plinius refert, primæuos chriſtianos iurato inuicem ſibi promiſiſſe; ſed innumeris quoque aliis rebus iuramenti confirmationem adhibuiſſe, vt eo fortius atque indiſſolubilius eſſet vinculum, quo in fide continerentur. Hoc ipſum roboris inſtar accedebat complementum ad confœderatam illam chriſtianorum diſciplinam, cui ſponte ſe vnumquodque ſocietatis membrum ſubmittebat. De qua

ri, ſeu eodem ſacramenti vinculo, continerentur. Adeoque vt a vitiis abſtinendi, it. etiam conuiuendi, parendi, pœnasque inter ſe vſitatas, atque inter eas excommunicationis vltro ſubeundi iura, eodem aut pari ſacramento firmabantur. Ill. Bœhmerus quidem l. c. vti §. XXIII. oſtendimus, diſſentit; liceat tamen & ipſius verba pro nobis allegare, l. c. p. 147. §. 40. de excommunicatione ſermonem faciens, ait: Vtut vero hæc, quæ adducta ſunt, Apoſtolica monita nihil pro eiectione totali faciant, auguror tamen, hæc quoque inter alia anſam ſuppeditaſſe, ad introducendam hanc, de qua agimus, eiectionem, *& hoc intuitu eccleſias ſe obſtrinxiſſe ſacramento, non in ſcelus, ſed ad ſcelus fugiendum, pœnamque confœderationi addidiſſe, vt qui pactis non ſtetiſſe compertus fuerit, eiiceretur, & ab omni commercio pietatis excluderetur.* Bingham in orig. eccl. lib. XV. c. 8. p. 566. de Chriſtianorum præparatione ad ſ. cœnam loquens, ait: Corpora ſua ac animas Deo offerebant, ſeque obſtringebant ſacramento, non in ſcelus aliquod, ſed in omne virtutis exercitium, quomodo Plinius ex quorundam Chriſtianorum ore rem narrat. Id. lib. eod. pag. 573. Hac enim die (ſc. Dominica) ſolebant (Chriſtiani) ante lucem conuenire, propter ethnicorum vexationem, & non ſolum hymnos Chriſto Deo ſuo canere, ſed ſacramento etiam ſe obſtringere, ne vllum ſcelus admitterent. Id. lib. XVI. c. 12. p. 489. vbi de depoſito loquitur, ait: Veteres Chriſtiani admodum iuſti, religioſi ac integri erant, in hoc vltimo, rerum fidei ſuæ commiſſarum genere: adeo vt ipſe Plinius nos faciat certiores, fuiſſe id partem aliquam ſolemnis eorum negotii ſingulis diebus dominicis, ſe ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia committerent, ne fidem fallerent, *ne depoſitum appellati abnegarent.*

aaa)

qua multa apud Tertullianum aliosque patres diſſeritur. Inde fundamentum excommunicationis petebatur. Quicunque enim contra leges ſocietatis ſolemni profeſſione & iuramento confirmatas agebat, communione priuatus a cœtu excludebatur, neque recipiebatur, niſi pœnitentia acta. Quæ omnia fuſius explicauit Ill. Bœhmerus diſſ. eccl. III. §. XXI. XXII. aaa) ſqq. licet ratione ipſius iuramenti ſecus ipſe ſentiat.

## §. XXVI.

Hiſce duabus tertiam addo rationem, ſuadentem, vt de ipſo iuramento verba Plinii intelligamus. Depromta eſt ex antiquitatibus Iudaicis, & conuenientia diſciplinæ Eſſenorum bbb) cum illa primitiuæ eccleſiæ; argumentum, ni fallor, haud parum ſtringens. Referunt ſcriptores rerum Iudaicarum fide digniſſimi, Ioſephus, ccc) Bana-

aaa) Quia Chriſtiani ſe ſanctiſſime obſtrinxerant, ſe nullum ſcelus commiſſuros eſſe, quia, qui in numerum & ſocietatem fidelium recipiebantur, hoc pacto publico admittebantur, vt omnibus delictis & impietatis illecebris renunciare coram vniuerſa eccleſia deberent, per ſe inde pœna eiectionis, ſeu excluſionis fluebat; neque enim iura communionis & ſocietatis ſibi vindicare poterat, qui in ea deliquerat, quod fruſtra ad leges prouocet, qui in leges committit.

bbb) Polus in ſynopſ. critic. vol. IV. p. 163. refert, quæ Ioſephus de iuramento Eſſenorum habet, tandem concludit: A qua (ſc. Ioſephi) narratione non multum diſcedit, quod de veteribus Chriſtianis, *quorum inſtituta multis partibus cum Eſſenis congruebant*, narrat Plinius: Quod eſſent ſoliti ſe ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent &c.

ccc) De bello Iudaic. lib. II. c. 12. de Eſſenis ait: Prius vero quam incipiat (ſectæ ipſorum ſtudioſus) communem habere cibum (i. e. in ſocietatem & communionem aſſumi) magnis execrationibus adiuratur, ſe primum quidem colere Deum, deinceps quoque erga homines ſeruare iuſtitiam, & neque propria ſponte nocere cuiquam, ne-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0044-7

nagius, ddd) Calmetus, eee) Serrarius, fff) aliique plures, ggg) Eſſenos nouitios ſuos ad ſectam ſuam tranſituros non prius ad communem cibum admiſiſſe, quam diris ſeſe obſtrinxiſſent iuramentis, ad ſocietatis leges ſolicite ſeruandas. Quin ex hoc ipſo argumento excommunicationis fundamentum apud illos quoque deſumtum fuiſſe iidem tradunt hiſtorici. Iam vero in antiquitatibus eccle-

neque ex præcepto obeſſe: quin iniquos omnes odiſſe, & collaborare ſemper iuſtitiæ ſectatorbius, fidem omnibus ſeruare, maxime vero principibus. - - - Manus vero a furto & animam puram ſeruare ab iniuſtis compendiis &c. His quidem execrationibus explorant, & quaſi præmuniunt accedentes. Deprehenſos vero in peccatis a ſua congregatione depellunt.

ddd) In annalibus polit. eccl. T. I. p. 171. §. 14. Neque tamen (nouitii) communi menſa vtebantur, quin prius magno ſe ſacramento obſtrixiſſent, Deum inprimis ſe veneraturos eſſe, erga homines iuſtitiam ſeruaturos, nulli nocituros, principibus, qui Deo volente præſunt, obſecundaturos.

eee) Proleg. & diſſ. in omnes & ſing. S. Scripturæ libros, T. II. diſſ. de Phariſ. Sadduc. Eſſenis &c. p. 91. ed. lat. nouiſſ. Antea tamen quam ad capiendum vna cum aliis cibum admittatur, terribilibus ſacramentis adiuratur, vt purum, pefectumque Dei cultum ac legis iuſtitiæ erga homines obſeruantiam profiteatur, neminem vnquam violaturum ne coactum quidem, impios euitaturum, probos tutamine defenſurum, præſtitam fidem erga omnes & maxime principes ſanctam habiturum.

fff) Qui in Trihæreſ. lib. III. n. 36. 37. edit. Trigland. fuſius de hoc Eſſenorum iuramento loquitur, oſtenditque, in quo illud potiſſimum conſiſtat; nimirum vt Deum colant, iuſtitiam obſeruent, a furto & rapina abſtineant, ſectæ ſuæ dogmata occultent &c. quæ omnia hic repetere nolo.

ggg) Ioh. Druſius de tribus ſectis Iud. L. 4. p. 339. edit. Trigland. Denuo poſt biennium introducunt eos (nouitios) in cœtum ſuum, & antequam comedant cum eis, adiurant eos, quod honorabunt Deum benedictum ſupra omnes res, & quod verſabuntur cum omnibus in iudicio & in iuſtitia &c.

eccleſiaſticis verſatum neminem fugit, multa in primitiua eccleſia ex diſciplina Eſſenorum vel retenta, vel adoptata fuiſſe. Quid ergo impedit, quo minus etiam iuramenti illius vſum eccleſiæ incunabulis receptum fuiſſe putemus? Nobis certe ſumma pro ſtabilienda noſtra theſi probabilitas accedere inde videtur; præſertim cum obſeruauerimus, eadem capita, quæ Plinius e ſacramento chriſtianorum refert, etiam in illo contineri, quod Ioſephus ab Eſſenis præſtitum eſſe tradit. Quibus omnibus æqua animi lance ponderatis, dubitare vix poſſumus, quin de vero iuramento noſter loquatur.

## §. XXVII.

Facile præuideo, poſſe aliquem, qui contrariam ſententiam amplectitur, ab hac noſtra interpretatione alienior, quæſtionem mouere: an chriſtiani ſingulis antelucanis conuentibus, ſtato die haberi ſolitis, iusiurandum illud repetierint? Huic reſpondendum arbitror, ſufficientem non obſtare cauſam, cur affirmatiua defendi nequeat. Veroſimile potius videtur, chriſtianos vtique ſæpius DEO quoque in teſtem vocato, fœdus, quo ad ſancte viuendum compellerentur, renouaſſe, & vti quotidie ſeorſim, ita ſtato die in conuentibus ſuis illud confirmaſſe, præſertim tempore perſecutionis. Quod ipſum optime reſpondet primæ eccleſiæ feruori, atque ſummæ de ſancte inſtituenda vita, curæ ac ſollicitudini. Sed alia præterea cogitanti ſeſe offert coniectura, teſtimoniis antiquitatum non deſtituta, quæ forſan & illum de nimis frequenti iuramenti reiteratione ſcrupulum ex animis dubitantium euellet.

## §. XXVIII.

Scilicet in ſacro baptiſmate, temporibus antiquiſſimis, fidei, quam vocabant, profeſſionem iuramento con-

confirmatum eſſe aſſerit Vicecomes hhh) de ritu baptiſmi, eumque ſequuti ſunt viri ſatis eruditi, quorum de antiquis baptiſmi ritibus iii) extant lucubrationes. Vt ſilentio præteream, quæ in Tertulliano aliisque patribus paſſim pro ſtabilienda hac ſententia reperiuntur, Eam vero ſi adoptaueris, facile quoque largieris, Plinium, rituum

hhh) Ipſum vicecomitem ad perluſtrandum & euoluendum inuenire non potui. Bingham. vero in orig. eccl. lib. XI. c. 7. §. 12. eum aſſerere ait: Baptizandos profeſſionem fidei ſuæ non tantum in librum eccleſiæ ſcripſiſſe, manu ſua vel aliena, ſed ſubſcriptioni etiam ſigillum addidiſſe, & *confeſſionem ſuam iureiurando confirmaſſe*. Forſan huc quoque referri poſſunt Rigaltii verba, in not. ad Tertull. de pœnit. p. 126. vbi ait: Hoc fuit datæ Deo vero ſub Chriſti nomine fidei, ſuſceptæque omnium retro delictorum gratiæ, per lauacri ſimilitudinem, ſacramentum. Quo ſc. ablutis ante actæ vitæ maculis obſtringerentur, ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne depoſitum appellati abnegarent, vitam denique viuerent innocentem. Quod ſi fidem fallerent, ſi qui rurſus idololatriæ, homicidii ſtupriue - - arguerentur, tum a communione orationis & conuentus, & omnis ſancti commercii relegabantur. Quorſum, ni fallor, inprimis pertinet illud Hieronymi in Ep. ad Heliodorum: Recordare tirocinii tui diem, quo Chriſto in baptiſmate conſepultus *in ſacramenti verba iuraſti*.

iii) P. le Cointe in annal. eccleſ. Franc. ad an. 496. n. 47. 48. Poſtquam ritus antiquos baptiſmi fuſe enarrauit, ait: Qui fidem profitebatur, defixis in cœlum oculis, manus in altum erigebat, ſic enim autor de eccleſiaſtica hierarchia, ipſum ad orientem transfert, in tuentemque in cœlum & manus tendentem iubet Chriſto aſſentiri. Ad illum locum Apoſtoli, confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus Primaſius addit: *in baptiſmo*, eaque interpretatione docet inſtar abrenunciationis ſatanæ, profeſſionem fidei ſolitam edi publice, coram teſtibus. *Iuramentum additum videtur*. Venturi ad baptiſmum, inquit S. Hilarius, prius confitentur credere ſe in Dei filio, & in paſſione ac reſurrectione eius, & huic profeſſioni *ſacramento fides redditur*.

tuum & diſciplinæ chriſtianorum non, niſi ex relatione apoſtatarum quorundam, gnarum, confuſius ea coniunxiſſe, quæ disiungenda & ſeparanda curatius fuiſſent, & hoc ſacramentum ad cœtus antelucanos retuliſſe, quod ad baptiſmi ritum forſan pertinebat. Licet mea quidem ſententia, duo diſtincta in eccleſia antiqua fuiſſe videantur iuramenta, quorum alterum a baptizando poſt fidei ſolemnem profeſſionem, alterum a ſingulis ſocietatis membris in conuentibus ſtato die habitis, ad arctius confœderandam diſciplinam, præſtitum fuiſſe arbitror.

§. XXIX.

Sed quocunque demum modo hæc omnia ſe habuerint; illud tamen adeo certum eſt, quam quod certiſſimum, &, ni omnia me fallunt, pro illo antiquitatum defectu, quo laboramus, ſatis probatum; iuramentum verum inter chriſtienos locum habuiſſe, quo a ſceleribus perpetrandis ſemet ipſos detinuerunt, & quam arctiſſime coniunxerunt. Candidus lector iudicet velim, rectene, an ſecus interpretatus fuerim verba Plinii, quæ nodi Gordii inſtar, plerosque prudentes vexant, & vt ingenue dicam, quod res ſit, requirunt interpretem me longe oculatiorem. Mihi hoc loco ſufficit argumentum, idque non inualidum inde petiiſſe pro demonſtrando vſu, & praxi iuramentorum inter chriſtianos ſæc. II. Ordo iam poſtulat, vt ad ſæc. III. Nouatianum deueniamus: quod quo pluribus abundat doctoribus, quorum ſcripta multa ad noſtram deuenerunt ætatem, eo frequentiora ſuppeditabit argumenta, quibus ad noſtram theſin defendendam vti poſſimus, licet contra ſentientes turmam ſatis numeroſam teſtimoniorum in aciem quoque producere ſummo labore tentauerint: quo ſucceſſu, quoue candore, videamus!

§. XXX.

§. XXX.

Hic me non morabuntur canones apoſtolorum & conſtitutiones, quas vocant, ſuppoſititiæ atque ſpuriæ; ex quibus, ſi inter eruditos, quo tempore, quoue auctore ſint confectæ, certius ac euidentius conſtaret, plura vtique pro defendenda noſtra theſi ad prioris eccleſiæ tempora pertinentia haurire poſſemus. Verum ſub iudice lis eſt, vtrum exeunte ſæculo II. an ſæculo III. ineunte, quod putat Tenzelius, aliique plures, an ſæculo IV. demum quintoue congeſta & conſarcinata hæc ſcripta fuerint. Quodſi Tenzelium ſequi velimus, vtique tuto pro nobis facientia allegari poſſent. Sed magis arridet ſecus ſentientium opinio, multis ſuffulta teſtimoniis, licet noſtrum minime ſit, tantas componere controuerſias. Vnde miſſa facimus, quæ minus firmis nituntur fundamentis; argumentis enim extra omnem dubitationis aleam poſitis pugnare malumus. Ea ſuppeditant tres eccleſiæ patres, qui ſinguli noſtræ patrocinantur opinioni.

§. XXXI.

Primum huc refero Clementem Alexandrinum, presbyterum, qui tempore Seueri imperatoris vixit, & multa egregia compoſuit ſcripta. Quorum quamuis pauciſſima ad noſtram conſeruata fuerint ætatem, ea tamen, quæ ſuperſunt, egregium pro theſi noſtra confirmanda præbent argumentum. Multum quidem contrariam fouentes ſententiam ſibi promittunt auxilii ex iisdem huius patris verbis, quæ pro nobis allegamns. Videntur enim primo intuitu omnem promiſcue iurandi facultatem ſiue licentiam in vniuerſum chriſtianis denegare. Sed vti multa ſæpe videntur; quæ non ſunt, ita & laudati Clementis noſtri verba iuſte conſiderata alium, quam qui perperam ipſis tribuitur, ſenſum produnt. Duo potiſſimum ſunt loca

huc pertinentia, quorum alter in ſtromatum kkk) libris, alter in pædagogo, lll) continetur. Neuter probat, Alexandrinum a præſtandis iuramentis adeo fuiſſe alienum, vt neque neceſſaria & iudicialia inter chriſtianos licita eſſe putaret. Lubet ipſa verba in notis apponere, neceſſitate id exigente.

§. XXXII.

Aperte potius & ſatis perſpicue, niſi me omnia fallunt, vtriusque loci verba oſtendunt, de ſolo abuſu iurandi noſtro ſermonem eſſe. Procliuiorem ad iurandum propenſionem, quæ mendacio viam ſternit, & prauam illam conſuetudinem, quæuis vel leuiſſima quoque in communi ſermone, iuramento confirmandi, vituperat, eamque ſummo iure præſertim in homine ad perfectionem & intimiorem cum Deo familiaritatem & conſuetudinis coniunctionem adſpirante reprehendit. Innuunt hæc partim verba, locum noſtrum ex ſtromatibus deprom-

kkk) Stromat. lib. VII. p. 728. Longe autem abeſt, vt qui in tali pietate probatur & diiudicatur, ſit ad mentiendum propenſus & ad iurandum. Eſt enim iusiurandum confeſſio definitiua cum diuina asſumtione. Sed neque iurat, vt qui in affirmatione quidem Ita vel Eſt; in negatione autem Non vſurpare conſtituerit. Sufficit ergo ei vel affirmationi vel negationi addere illud: Vere dico! vt fidem iis faciat, qui reſponſi eius non perſpiciunt ſtabilitatem &c.

lll) Pædagog. lib. III. p. 255. Qui aliquid vendit, aut emit eorum, quæ a ſe venduntur aut emuntur, nunquam dicat duo pretia. Vnum autem ac ſimplex dicens, & vere dicere ſtudens, ſi id non conſequatur, dum veritatem aſſequitur, diues eſt, recta animi affectione. Abſit autem iusiurandum auctor omnium, quæ venduntur. Abſit autem etiam in aliis iusiurandum; & ita philoſophentur negotiatores forenſes, & caupones: Non aſſumes nomen domini in vanum &c.

mmm)

promtum, proxime antecedentia, mmm) partim indicant, ea ipſa a nobis allegata, quæ ab initio ita ſe habent: *Longe autem abeſt, vt qui in tali pietate probatur, & diiudicatur, ſit ad mentiendum propenſus, & ad iurandum.* Taceo, locum pædagogi totum ita comparatum eſſe, vt ſtatim lectori cuicunque neceſſario apparere debeat, de ſolo abuſu priuatiue intelligendum eſſe; cum mercatorum, negotiatorum, cauponum eiusque ſortis hominum improbet iurandi, ſiue periurandi potius conſuetudinem, ad DEum ſanctiſſimum & veriſſimum vehementer violandum atque profanandum comparatam.

§. XXXIII.

Sed quid opus eſt verbis, vbi rerum argumenta loquuntur. Ipſe ſuam ſuſcipiat defenſionem Clemens noſter, qui in eodem ſtrom. libro, ex quo ſupra citata verba deſumta ſunt, mentem ſuam tam diſtincte exprimit atque perſpicue, vt, quid obiiciant contra ſentientes, nihil habeant. Poſtquam enim de temeratio iuramentorum vſu mula dixit, & quam cogitate & circumſpecte ad illud deueniendum ſit, oſtendit, ita tandem concludit: *Iam vero recte & vere iurat, licet procliuis ad iurandum eſt is, qui eſt præditus cognitione, qui raro quidem accedit ad iurandum, ſed ita, vt diximus.* Quibus omnibus bene & accurate ponderatis, quis quæſo adfirmabit, Clementem omnino iurare nefas putaſſe? Mihi certe videtur recentior & vſitatior noſtra ſententia de iuramentorum vſu, cum Alexandrini presbyteri ita conuenire, vt inter vtramque valde

mmm) Quocirca vere puram & immaculatam oportet habere animam, qui cum Deo conuerſatur, vt ſe ipſum bonum perfecte efficiat: - - - Vniuerſa eius vita tanquam quidam celebris ac ſanctus dies feſtus eſt.

nnn)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0051-6

valde exigua aut plane nulla intercedat differentia. Sed hactenus de Clemente.

§. XXXIV.

Quem excipit Origenes, ipſius Clementis diſcipulus, propter infatigabilem in ſcribendo diligentiam adamantinus, ſeu inſuperabilis dictus. Huius licet ſcripta ad ſena millia adſcendere dicantur, plurima tamen iniuria temporis deperdita; reliqua duobus tomis comprehenſa hodie ſuperſunt. Equidem ſane quam pauca ad iuramenta pertinentia in iis reperi; ea tamen, quæ huc facere videbantur, nolui intacta relinquere. Locus eſt in lib. VIII. contra Celſum, qui mentem Origenis de iuramentorum vſu ſatis declarat. Nimirum ſentiebat vir, doctrina Clementis imbutus, vtique in magni momenti negotiis iusiurandum per verum DEVM adhiberi licite poſſe; rebus contra illicitis maximeque nefandis iuramenta per Genium principis, alienos deos atque Dæmones annumeranda, & chriſtianis interdicenda penitus eſſe. Verbo: vſum retinendum, abuſum tollendum. Quod ipſum, vti integer locus, nnn) ita imprimis hæc verba demonſtrant: *Ne iuramento abutemur.* Iam vero conſtat, abuſum rei, cuius ne vſum quidem legitimum admittimus, nullum eſſe.

§. XXXV.

nnn) Origenes contra Celſum lib. VIII. Per fortunam regis non iuramus, ſicut nec per alia numina fictitia. Nam ſiue curſus tantum rerum fortuna eſt, non iuramus per id, quod nihil eſt, tanquam per Deum, aut rem aliquam pollentem viribus, ne iureiurando abutamur: ſiue qui per fortunam regis iurant, iurant per Romani principis genium, vt eo nomine vnum e dæmonibus intelligamus; ſic quoque moriendum eſt nobis potius, quam iurandum per malum & perfidum dæmonem &c.

ooo)

§. XXXV.

Origenis accedit ſententiæ Tertullianus ille, presbyter, ex cuius monumentis inſignis cognitio antiquioris eccleſiæ deſumi poteſt. Arnoldus quidem cum aliis multis, qui contrariam ſententiam defenſum eunt, etiam huic patri illam tribuunt, ſed admodum profecto perperam, & ob rationem minus firmam, ne dicam, nullam. Proferunt locum c. XI. de idol. vbi ait: *Taceo de periurio, quando iurare ne quidem liceat.* Ex hoc prono fluere alueo contendunt, Tertullianum indiſtincte omnia reprehendere iuramenta. Concedo, hæc verba ita comparata eſſe, vt, ſi in reliquis Tertulliani operibus nullibi clariora de hac ipſa re adeſſent, ad aliquam leuiorem ſufficere poſſent præſumtionem; cum vero toties totiesque de iuramentis tamquam non prohibitis differentem eum audiemus, caueant interpretes ex parte aduerſaria, ne cum præiudicio ad horum verborum explicationem accedant. Indicat totius opuſculi argumentum, ex quo depromta ſunt hæc verba, & omnis ſcribendi ratio, auctorem id agere, vt idololatriæ redarguat crimen, eiusque ſummam probet fœditatem. Hunc igitur finem ante oculos habens de iuramentis tantum huc pertinentibus, ſcilicet ad formulas gentilium idololatricas conceptis loquitur, eaque reprehendit; ipſam de iuramentorum inter chriſtianos moralitate quæſtionem, disquirere minime gentium voluit, vt quæ eius loci non erat.

§. XXXVI.

Solebant idolorum cultores per fortunam principis, & Genium imperatoris iurare: ooo) præſtitumque hac for-

ooo) Korthold pagan. obtrectat. c. 7. p. 526. Obſerua, gentiles vnicuique mortalium ſuum aſſignaſſe genium, ſiue angelum totius vitæ ducem; quem Pædagogum vocat Seneca, Myſtagogum Menander.

formula iuramentum longe ſanctius & minus violandum credebatur, quam, ſi per alios DEOS iuratum fuisſet. ppp) Chriſtiani vero, ſacro baptiſmate initiati, Diabolo cum omni ipſius pompa, omnibusque ſimul falſis Deis, renunciauerant, neque ſine idololatriæ crimine per aliud

Credebant proinde etiam, imperatori cuiuis eſſe ſuum genium. Per quem cum iurare ſolerent, & ita quidem, vt ſatius ducerent per omnes Deos peierare, quam per vnum hunc Cæſaris genium, exprobrat id ipſis Tertullianus. Kipping. in antiqu. Rom. lib. 1. c. 1. p. 19. ſingulis hominibus aut Genium, aut Iunonem adiungebant, illum quidem maribus, hanc vero feminis. id. lib. 1. c. 2. p. 81. Genius eſt Deus naturalis ille, quem ſtatim cum prima natiuitate homini adiungebant. Qui cum homine gignitur quodammodo. De maſculis intelligi debet, nam feminis adiungebant Iunones, adeoque iurabant illæ: Iunonem meam iratam habeam, teſte Petronio Arbitro in Satyrico, p. 71. Nieupoort Rit. Rom. explicat. ſect. IV. c. I. §. 17. Genius dicebatur naturæ Deus, qui omnium rerum gignendarum vim habebat: - - - credebant enim veteres, vnicuique homini & etiam loco, ſuum adeſſe Genium; cuius munus eſſet, hominem iſtum vel locum aſſidue tueri, eique præſidere. - - - Cum igitur aliquem enixe obteſtari vellent, per Genium eius orabant. Sic etiam quisque iurabat per Genium ſuum, ſerui per Genium heri, omnes autem Romani, poſt perditam libertatem, per Genium principis; fuſtuarii pœna in peierantes conſtituta: mulieres vero & ancillæ per iunonem ſuam, vel heræ ſuæ iurabant. Andr. Tiraquell. annot. in Alex. ab Alex. genial. Dier. l. V. c. 10. p. 655. Poſt aliquot vero tempeſtates, per ſalutem & genium principis peierare longe præſtantiſſimum iusiurandum haberi cœptum, cui nulla vi, nulloque imperio contraire fas erat. Quod Tiberius Cæſar de ſe præſtari vetuit. Nam ne in acta ſua iurarent, neue nomen ſuum teſtarentur aut genium, obſtinatiſſime reſtitit. Quod etiam de Nerone proditur, vt cum antea in acta principum iurarent magiſtratus, collegam ſuum Antiſtium in ſua acta iurare inhibuerit, vid. Sueton. vit. Tib. c. 26. Tacit. annal. lib. XIII. c. 2. Dion. lib. 57.

ppp) Edord. Herbert de Cherbury,

aliud Numen, quam quod pro vero agnoſcebant, iurare poterant. qqq) Vnde a gentilibus criminis læſæ maieſtatis imperatoriæ arguebantur, ſi per ipſius genium iurare recuſabant, quam tamen calumniam idem noſter Tertullianus argumentis validiſſimis maſcule refutauit. rrr) Eo

bury, de religione gentil. edit. Amſtel. p. 199. Quanti habitus fuit olim Genius, tum maxime principum, ex eo liquet, quod, qui per eius Genium iuratus peieraſſet, pœnas dabat, tamquam religioſiſſimi iurisiurandi violator. Caligula pœnas infligere quibusdam ſolebat, quod nunquam per Genium ſuum iuraſſent, ſe ipſum inde contemni intelligens.

qqq) Thomaſinus in tr. hiſtoriques & dogm. ſur divers points de la diſcip. de l'egl. & de la morale Chret. P. II. c. 16. p. 467. Les martyrs ſe défians, que ce genie ne fut quelque pretenduë divinité, refuſoient conſtamment de le faire. En effet les genies etoient dans le ſentiment des payens des demy Dieux, & comme des anges gardiens, préposez au ſalut de chaque particulier. C'eſt pour cela, que les Chretiens refuſoient de jurer par le genie de l'empereur, bien qu'ils iuraſſent par ſon ſalut. Ioh. Voſſ. hiſt. Pelag. lib. V. P. II. theſ. 2. opp. tom. VII. Nec ſolum per genium principis iurare recuſabant Chriſtiani, verum etiam per fortunam principis: ſiue, quia fortuna etiam inter Deos, ſiue quia hac ratione ſignificatur, Cæſarem in manu ſua habere fortunam, quod Dei eſt vnius. - - - Nempe hæc abnegatio fuiſſet veri Numinis, quia - - - nationes volebant, vt Chriſtiani Deum Iſraelis & Chriſtum abiurarent, inque eius locum ſurrogarent Cæſarem, quem ipſæ pro præſenti colebant Deo, etiam templa ei erigentes & aras, ad quas per numen eius iurarent. Huc pertinet notiſſimum illud exemplum, quod ex ſæc. II. ſcriptoribus, refert Korthold in perſecut. p. 150. Polycarpi ſc. ſub Marco Antonio martyris, qui cogi nullo pacto potuit, vt per genium ac fortunam Cæſaris iuraret.

rrr) vid. Tertull. apol. p. 26. c. XXVIII - XXX. Ventum eſt (ait) ad ſecundum titulum læſæ auguſtioris maieſtatis. Siquidem maiore formidine, & callidiore timiditate Cæſarem obſeruatis, quam ipſum de Olympo Iouem &c.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0055-8

Eo referenda ſunt tum pleraque patrum dicta, multis omnem iuramentorum vſum penitus improbare viſa, tum ea potiſſimum, de quibus hic nobis ſermo eſt. Etenim, quam remotiſſimus fuerit Tertullianus a mente eorum, qui Chriſti aſſeclis omnino iurare prohibent, ex ipſius verbis adeo euidens eſt, vt probatione ampliore non opus ſit.

## §. XXXVII.

Quatuor inprimis loca Tertulliani, quæ huc pertinent, commemorabimus, quorum, neſcio quo caſu, a diſſentientibus mentio neglecta eſt. Primus deſumtus eſt ex libro, quem inſcribit de corona, p. 107. vbi ait: *Credimus ne, humanum ſacramentuu diuino ſuperindui licere? & in alium dominum reſpondere poſt Chriſtum?* Alloquitur Auctor chriſtianos, interna & ſanctiora IEſu Chriſti caſtra ſecutos, externæ etiam militiæ daturos nomina, eosque hortatur, vt a propoſito recedant. Vtitur argumento allegorico magis, quam vere ſtringente. Duo ſacramenta diuerſis dominis, puta DEO & homini, præſtita admitti nequaquam poſſe cenſet. In quo, licet Tertullianus ſemet ipſum valde fefellerit, illud tamen hoc loco probari non poteſt. Hoc duntaxat iam agimus, vt ex ipſa hac Tertulliani allegoria pro nobis verum & ſolidum aliquod argumentum deſumamus. Scilicet Tertullianus, ſi omnino iuramentum præſtare prohibitum credidiſſet, vtique hanc rationem multo validiorem myſtica illa, quam adfert, in medium protuliſſet. Quodſi enim iurare plane non licet, neque ſacramentum militare præſtandum, conſequenter a militia abſtinendum. Conceſſa maiore, neceſſario & minor, cum concluſione, fuiſſet concedenda; quo facto, vno quaſi ictu profligatis eorum exceptionibus atque eliſis, qui milites eſſe cupiebant, a propoſito eos deterriturus, & orationis finem conſequuturus fuiſſet.

ſet. Verum ipſe maioris propoſitionis infirmitatem perſpexit; vnde ſuperinductionem tantum externi ſacramenti militaris, firmo manente priore myſtico, fieri non poſſe contendit. Præiudicialem de moralitate iuramenti omittit quæſtionem, ex conceſſis autem agit, conſectaria formans ex principio indubio.

§. XXXVIII.

Secundum locum exhibet liber, de pudicitia, in cuius cap. XIX. pag. 582. delictorum facta diſtinctione, in maiora & minora, leuioribus quodammodo & venialibus (vt vulgo vocantur) annumerat: ſi quis temere iuraſſet. Indicant hæc verba, sss) & liquido probant, Tertullianum noſtrum ab illa ſententia, quæ ipſi affingitur, adeo abhorruiſſe, vt ipſum temerarium quoque iuramentum minoribus delictis quotidianæ (vt ait) incurſionis, adſcribendum non dubitauerit. Quod certe nunquam feciſſet, neque facere potuiſſet, ſi in rebus maximi quoque & grauiſſimi momenti indiſtincte omnem iurandi licentiam improbaſſet. Hiſce adnumerari poſſunt ea, quæ in apolog. pro chriſtianis c. 42. p. 31. habentur, vbi cauſam acturus chriſtianorum demonſtrat, eos a commerciis tam parum alienos eſſe, vt fere nullum ad ſocietatem communem & vtilitatem publicam pertinens vitæ genus inueniatur, quod

sss) Verba eius ſunt: Non ipſi excidimus, a qua digreſſi ſumus diſtinctione delictorum. Et hic enim illam Iohannes commendauit, quod ſint quædam delicta quotidianæ incurſionis, quibus omnes ſimus obiecti. Cui enim non accidit, aut iraſci inique, & vltra ſolis occaſum; aut & manum immittere, aut facile maledicere, *aut temere iurare*, aut fidem pacti deſtruere, verecundia aut neceſſitate mentiri in negotiis, in officiis, in quæſtu, in victu, in viſu, in auditu quanta tentamus, vt ſi nulla ſit venia iſtorum, nemini ſalus competat? Horum ergo erit venia per exoratorem patris Chriſtum.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0057-9

quod neque ipſi elegerint. Militiam, mercaturam, rem nauticam atque agrariam a chriſtianis eadem ſolertia exerceri quam a diuinitatem vanam colentibus. ttt) Iam vero neminem fugit, milites nonniſi iuratos admiſſos fuiſſe. Quod ſi igitur chriſtiani operas cum gentilibus (vt loquitur Tertull.) miſcuere, militiam exercuere, aliaque commerciis inſeruientia fecerunt, neceſſario & ſacramenta, tam inter milites, quam in foris vſitata præſtare debuerunt. Atqui verum eſt prius, ergo & poſterius.

§. XXXIX.

Reſtat vltimus Tertulliani locus, tam clarus atque perſpicuus, vt nihil omnino opponi in contrarium poſſit; quem, neſcio qua fide, contra ſentientium plurimi neglexerunt. Deſumendus ex eodem apologetico, cuius iam mentionem fecimus. In refutandis vel amoliendis potius criminibus, quorum per calumniam rei fiebant ab hoſtibus, occupatus, ad maximum illud læſæ maieſtatis imperatoriæ ſeſe conuertit, & inculpationibus aduerſariorum ſolide reſpondet. Neque ignarus illius occaſionis, vnde hæc calumnia enata fuit, quod chriſtiani a profanis iurandi per genium imperatoris formulis abhorruerunt; id ſtudioſiſſime totus agit, vt probet, genios Dæmones uuu) eſſe, neque a chriſtianis vnicum ac verum colentibus DEVM agnoſci, aut per eos iurari poſſe. Vt vero probet a fidelitatis iuramento, aut alio quodam, neceſſi-

ttt) Ait loc. cit. Nauigamus & nos vobiſcum, & vobiſcum militamus, & ruſticamur & mercamur. Proinde miſcemus artes, operas noſtras publicamus vſui veſtro.

uuu) Apolog. p. 28. edit. Rigalt. Noſcitis genios dæmonas dici, & inde diminutiua voce, dæmonia. Nos iudicium Dei ſuſpicimus in imperatoribus, qui gentibus illos præfecit; Id in eis ſcimus eſſe, quod Deus voluit, ideoque & ſaluum volumus eſſe, quod Deus voluit &c.

ceſſitate vrgente præſtando, eos non abhorrere (modo per verum DEum concipiatur) hæc notatu digna verba addit: *Sed & iuramus, ſicut non per genios Cæſarum, ita per ſalutem eorum, quæ eſt auguſtior omnibus geniis &c.* xxx) Clarius forſan atque euidentius primæ eccleſiæ teſtimonium adferri poterit nullum, quo non obſtante contrariam, quod maxime mirandum, Tertulliano ſententiam ſupra citati tribuerunt auctores.

§. XL.

Vnicum ſupereſt hiſtoriæ monumentum, quod primæ eccleſiæ ſæculi huius tertii praxin circa iuramentorum vſum, commonſtrare haud obſcure videtur. Nefandum illud puta Nouati exemplum, qui teſte Euſebio yyy) eo deuenit audaciæ, vt per euchariſtiam, ſiue cor-

xxx) Magnum hoc Chriſtianos putaſſe ſacramentum, idem noſter paucis interiectis oſtendit, aiens: Saluum volumus eſſe, quod Deus voluit, & pro magno id iuramento habemus. An vero hæc formula iurandi per ſalutem principis voluntati Chriſti fuerit conformis, hic disquirendum non eſt. Non tamen omnino diſplicent, quæ Thomaſſinus loc. ſupr. cit. habet; ait p. 469. Voila donc deux difficultés reſoluës. L' une du jurement par le genie, ou par le ſalut des empereurs; ou ont eu pû douter, pourquoi les premiers Chrêtiens en avoient quelques fois de l' auerſion, autre fois ils n' en avoient aucune. Ils en avoient auerſion, quand ils voyoient que le genie des empereurs paſſoit parmi les payens pour une éſpece de divinité; ou quand ils apprehendoient, que ce ne fut encore traiter les empereurs de divinitez, de jurer par leur ſalut, ou par leur nom, comme on feroit par celui des Dieux. Au contraire ils n' avoient aucun eloignement de jurer par le ſalut des empereurs, quand il etoit notoire, que ce n' etoient, que les formules des jurements, qui finiſſoient par des imprecations ſur les choſes ou les perſonnes les plus cheres.

yyy) Hiſt. eccl. lib. VI. c. 35. Cum feciſſet oblationes, & ſingulis partem ſacramenti diſtribuiſſet, porrexiſſetque, miſeros homines & infe-

corpus & ſanguinem Chriſti IEſu adiurauerit hæreſeos ſuæ complices, vt perfidam fidem ſeruarent ſibi, neque vnquam ad Cornelium papam redirent. Nullus quidem ignoro ignominiæ maculam, quam ſcriptores eccleſiaſtiſtici iure meritoque peſſimo huic actui inurunt. Verum cum pro moralitate iuramenti defendenda illud non allegem, ſed eo ſaltem fine, vt exemplis probem, ſæc. III, iuratum fuiſſe inter chriſtianos, nemo illud ipſum vitio mihi vertere poterit. Ex illo enim Nouati exemplo, poſt Euſebium Voſſius zzz) aliique plures magni viri ſatis recte colligunt, tum temporis non iuramenta tantum recepta, ſed & ea per euchariſtiam inter chriſtianos præſtari ſolita fuiſſe. Sed hæc ſufficiant de ſæc. III.

§. XLI.

Sequitur iam ſæc. IV. ſiue Arianum, ex quo fideliter colligenda & producenda ſunt, quæ pro nobis militant argumenta. Video quidem, ipſum Arnoldum largiri,

infelices pro benedictione & gratiarum actione iusiurandum dare coegit, ac ſuis vtrisque manibus accipientis prehendens, non prius dimiſit, quam hoc iureiurando eum obſtrinxiſſet: Iura mihi per corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, te nunquam nec me deſerturum, nec ad Cornelium reuerſurum. Atque miſer homo non ante deguſtauit, quam ita illi ſe deuouiſſet. Tillement memoires pour ſervir à l' hiſt. eccl. des 6 premiers ſiecles: tom. III. part. 3. p. 58. an. 251. Novatien, apres avoir fait l' oblation, lorsqu il' diſtribue à chacun ſa portion, & qu' il la leur a donnée (ſur le main) il prends les deux mains de ces miſerables, & au lieu de la benediction il les oblige de jurer par le corps & le ſang de I. C. N. S. qu' ils ne l' abandonneront jamais, & ne retourneront point à Corneille; & il ne les lache point, qu' ils n' ayent fait ce ferment.

zzz) Hiſt. Pelag. lib. V. P. II. theſ. 2. In primitiua eccleſia per Euchariſtiam fuiſſe iuratum, oſtendit factum Nouati. conf. Fleury hiſt. eccl. hoc ann.

aaaa)

giri, quædam pro defendendis iuramentis ex hoc ſæculo deſumi poſſe. Ait enim, tempore Conſtantini Zelum atque feruorem purioris eccleſiæ, eiusque diſciplinam ſenſim exoleuiſſe, laxiorem introductam, neque doctrinam Chriſti, Apoſtolorum, eorumque imitatorum tam ſolicite, vti ante hac, conſeruatam eſſe. Vnde & licentiam iurandi paſſim introductam putat. Videri itaque poterat, hic ſubſiſtendum, neque in demonſtratione ſententiæ noſtræ altius progrediendum eſſe. Verum enim vero, cum deprehendi, contra ſentientes plurima tamen pro defendenda theſi ſua, huius ſæculi patrum dicta in medium proferre, neceſſarium duxi, monumenta huc pertinentia inueſtigare, eaque prioribus adiungere. Accedit, quod hoc ſæculum a tertio nondum ita receſſit, vt ab indole & agendi ratione in eo vſitata, ad mores præcedentium ſæculorum recte argumentari nequeamus. Siquidem non ſubitanea quadam mutatione a puritate primitiua, & omnibus ſimul inſtitutis eius facta eſt diſceſſio, ſed ſenſim, ſucceſſiue & pedetentim, frigeſcente feruore, felicitatis & integritatis ſuæ triſtiſſimam fecit eccleſia iacturam. Vnde & ea, quæ hoc ſæculo geſta ſunt, certo reſpectu ad antiquæ eccleſiæ diſciplinam referri poſſe, nullus dubito.

## §. XLII.

Conſtantini illius vere Magni imperatoris, penes quem ineunte hoc ſæculo ſumma imperii fuit, exemplum, primum nobis, idque eo minus ſpernendum præbet argumentum, quo ſuperſtitioſiorem in conſeruandis eccleſiæ inſtitutis eum alias videamus. Ipſum vero non ſemel, ſed quam ſæpiſſime iuraſſe, cum Euſebio, alii probant ſcriptores. Iam vero certum, ſi chriſtianus iuramenta prohibita edoctus fuiſſet, imperator ſatis circumſpectus, aut ſi mauis, maxime ſcrupuloſus, illud omnino

non feciſſet. Ita potius mihi perſuadeo, eum lege publica ſanciturum fuiſſe, vt nemo iuramenta præſtaret, quod vt fecerit tantum abeſt, vt contrarium ex eius hiſtoria quam certiſſime conſtet. Refert enim Sozomenus, hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptor antiquus, Arium hæreticum a Conſtantino iuſſum fuiſſe, vt fidem ſuam non tantum ſcripto proditam ederet, ſed eam per veritatem iureiurando quoque confirmaret. aaaa) Quid? quod ipſe ſacramenti militaris nouam præſcripſit formulam. bbbb) Quæ omnia ſatis oſtendunt, a iuramentorum vſu non tantum non omnino abſtinuiſſe chriſtianos huius ſæculi, ſed ea quoque frequentiſſime adhibuiſſe, ad veritatem & indagandam & confirmandam.

§. XLIII.

aaaa) Hiſt. eccl. lib. II. c. XXX. Arius cum a - Conſtantino - - fidem ſuam ſcripto proditam edere iuberetur, ſcripſit ſubdolus - - verba ſimplicia - - - Deinde cum beatus Conſtantinus diceret: Si præter iſta nihil mente clauſum habes, veritatem conteſtare. Nam ſi peieraueris, ipſe Deus pœnas a te exiget: miſer iurauit, ſe nihil habere præter illa, quæ tum ſcripſiſſet, nec aliter vnquam aut dixiſſe ſe, aut ſenſiſſe. Veritatem conteſtari, idem eſſe ac iurare per veritatem, optime oſtendit Valeſ. in annot. ad Sozom. p. 87. vbi ſimul probat, formulam hanc fuiſſe iurandi apud Chriſtianos; verba eius ſunt: i. e. iura per veritatem. Hoc enim erat iuramentum Chriſtianorum, vt legitur in Epiſtolis Pauli: in veritate dico, non mentior. Deum enim veritatem eſſe credebant, quemadmodum docent S. paginæ. Quare cum dicebant: in veritate; idem erat ac ſi dicerent: in Dei nomine.

bbbb) Selden de Synedr. veter. Ebr. p. 482. Poſtquam autem Chriſto nomen dederunt Cæſares, iuramentum inſtituerunt militare per Deum & Chriſtum & Spiritum S. & per Maieſtatem imperatoris (quod in locum illorum, per Genium, per fortunam, per ſalutem, ſucceſſit) quæ ſecundum Deum generi humano diligenda eſt & colenda, conf. Vegetius de re militar. lib. 2. c. 5.

## §. XLIII.

Ad eadem hæc tempora Conſtantini pertinet Athanaſius, epiſcopus Alexandr. ex cuius ſcriptis plura teſtimonia ad noſtram ſententiam de recepto inter chriſtianos vſu iurisiurandi ſtabiliendam producere licet. In apologia ad Conſtantium imperat. ipſe ait: *Manu extenta - - - DEum in meam ipſius animam teſtor, & vt ſcribitur in libris regum, iusiurandum excipio: Teſtis ſit Dominus, & teſtis Chriſtus eius, quod nunquam in malum tui mentionem feci apud fratrem tuum &c.* Optat in ſequentibus, vt accuſatorem præſentem haberet, ex quo iuramento delato *ſub atteſtatione veritatis* cccc) ſciſcitaretur, vtrum vera, an falſa ſint, quorum is Athanaſium reum fecerat.

## §. XLIV.

Idem epiſcopus in quæſtionibus ad Antiochum quæſtionem mouet, quid conſilii, ſi princeps iracundia permotus ad malefaciendum iure iurando ſe obſtrinxerit, poſtea vero facti ipſum pœniteat? dddd) ad quam ita reſpondet, vt oſtendat, tale iuramentum diſſoluendum, & pro irrito ac inani habendum, cum iuramenta debeant eſſe

cccc) Fuiſſe hanc formulam iuramenti inter Chriſtianos, ſupra iam oſtendimus. Affirmat id ipſum Anaſtaſius, cuius verba in Apol. ad Imp. Conſtantium, T. I. opp. edit. Colon. p. 678. hæc ſunt: Vellem autem hunc hominem, quisquis eſt, hic in præſentia adeſſe, vt delato iuramento ſub atteſtatione veritatis ab eo ſciſcitarer. Quæ enim ita dici audirique volumus, quaſi Deo præſente ea ſub hac formula iurisiurandi, nos Chriſtiani homines concipere ſolemus, τοῦτον ὅρκον ἔχομεν ἡμεῖς οἱ χριστιανοὶ, iuberemque illum pronunciare, uter magis noſtrum lætabatur de incolumitate beatæ memoriæ Conſtantis.

dddd) T. II. p. 383. q. CXXIX. Si quis princeps iraſcatur, & iureiurando ſe obſtrinxerit, ad faciendum quid; deinde a iureiurando ipſum facti pœniteat, cum norit, quod male iurauerit, quid facere debet?

eſſe vincula non iniquitatis, ſed iuſtitiæ. Deo autem (pergit) præcipitantiæ peccatum confitendum, eeee) ab eoque in poſterum ſolicite cauendum eſſe. Tota hæc Athanaſii reſponſio ita comparata, vt ne ſpeciem quidem præbeat, ipſum iuramenta illicita prorſus putaſſe. Oſtendunt potius, vſum eorum tum temporis adeo frequentem fuiſſe, vt de abuſu tollendo cogitari debuerit. Idem commonſtrat epiſtola ad Dracontium perſuaſoria, de munere epiſcopali, quod ipſi demandatum erat, ſuſcipiendo. Verebatur noſter, ne iuramento temerario obſtrictus teneretur Dracontius ad fugiendam epiſcopalem dignitatem, ad quam vocatus erat. Quamobrem, *an forſitan* (inquit) *ideo tibi conſilium ſuppeditant tui auſcultandi, quod dixeris iurarisque, non futurum, vt ſtes, ſi conſtitueris epiſcopus?* Tale iuramentum temere præſtitum non obligare contendit, verum quod omnino iurauerit, id minime improbat, neque ob hanc cauſſam illum vituperat.

§. XLV.

Supereſt, vt, quæ Gregorius Nazianzenus, Baſilius M. & Chryſoſtomus, huius ſæculi ſcriptores ſentiant, euoluamus; quos præſtantiſſimos patres aduerſarii noſtri in ſuas partes trahere conantur. Verum iam demonſtratum ibimus, parum præſidii ex his patribus accedere illis poſſe, cum pro genuina eorum ſententia minime habenda eſt, quam ipſis vulgo tribuunt. Equidem non nego, vnum atque alterum Gregorii locum iis conceptum eſſe

eeee) Rſ. Confiteri Deo, & agnoſcere præcipitantiam ſuam, & iuramentum ſoluere. Etenim & Petrus Apoſtolus dixerat: Non lauabis pedes meos in æternum, & reuocans, quod dixerat, laudatur ob id. Herodes autem confirmans iuramentum propter præcurſoris caput in æternum punitur.

ffff)

eſſe verbis, quæ promiſcue omnia iuramenta reiicere videantur. Sed quemadmodum verborum ſuorum quilibet optimus habendus eſt interpres, ita etiam ipſius Nazianzeni verbis clarius alibi propoſitis dubia illa & non ſatis clara, interpretanda eſſe arbitror. Iam vero in carminibus extat *Dialogus aduerſus eos, qui frequenter iurant*, in quo mentem ſuam explicauit Gtegorius, oſtenditque ſe minime omnia reiicere iuramenta, ſed temerarium tantum, eiusque in communi ſermone frequentiorem vſum; contra maxime licitum putare, ſi rebus maioris momenti illa adhibeantur. ffff) Quod ipſius carminis argumentum inſcriptum præ ſe fert. gggg) §. XLVI.

ffff) Carmin. Iamb. p. 1000.
Iurare, dicti ſiſtere & teſtem Deum,
Si vera jures, iſtud eſt ἐυορκία.
Id. carmin. XX. p. 112.
A. Quidnam ille fructus, ſæpe qui iurat, refert?
Riſum. Quid aliud inſuper?
Vt vera nec cum dicat, inueniat fidem.
& paulo poſt: ibid.
A. Comprimere morbum, ſi tamen nondum potes,
Quidnam eſt agendum?
Iurare ſaltem ſemper & grandiſſime,
Omnique de re, diffuge!
B. Quando igitur horci gratiam nobis facis?
A. Tum cum neceſſe eſt.
B. Quando at neceſſe eſt adiicere? an periculis
Magnis vt aliquos extrahas?
A. Recte. B. vel vt te crimine exſoluas graui?
A. Tum quoque licebit.
& quibusdam interiectis, pergit:
B. At fugere quosnam maxime horcos conuenit?
A. Id eſt apertum
B. Audire at abs te tutius. A. hos intelligo,
Qui tetriores ceteris.
- - - - - - -
Nec ergo iures cuncta, nec ſemper, puta
*Ludens, edensue*,
Miſer, beatus, nauigans, carpens iter,
Vendens emensque,
Claudens, gemiſcens, in epulis hircum vomens,
Interque amicos,
Vt qui Lyæo, dapibus & multis tument.
gggg) Aliud argumentum quo-

 ad

## §. XLVI.

Ad Baſilium quod attinet, eiusdem ſententiæ eum fuiſſe, omni iure adſero, quidquid in contrarium opinetur Arnoldus. Vt enim ſilentio prætercam, ipſum aliquoties iuraſſe; hhhh) in epiſtolis canonicis plurima ex-

ad Gregorium M. temporaque huius ſæc:, præbet Epiſt. Greg. 219. ad Theodorum Thyanenſ. epiſc. a quo in caſu dubio fuerat conſultus. Sc. Georgius quidam Theodori parochianus transegerat cum aduerſario. In inſtrumento transactionis, iuramentum præſcriptum fuerat ad maiorem firmitatem. Hoc non obſtante, contra transactionem Georgius aduerſarium ſuum in ius vocauerat, & obtinuerat. Quærebatur, vtrum periurus eſſet. Aiebat enim, iuramentum illud non fuiſſe, quippe quod non pronunciaſſet viua voce, nec adhibitis & tactis Euangeliis. Præterea dicebat, ſe vi compulſum fuiſſe, vt iusiurandum illud inſtrumento apponeret. Reſpondet nihilominus Gregorius, Georgium periurii reum eſſe - - neque (ait) quod Georgius adſerit, vi compulſum ſe fuiſſe, id ſufficit ad excuſationem. Vis enim non alia fuit, quam lex & conſuetudo, cui ceſſit Georgius. Sunt hæc verba Valeſii in not. ad Sozom. lib. VI. c. 30. p. 115. vbi hujus epiſtolæ mentionem facit, eamque ſic explicat. Malui hanc Valeſii paraphraſin, quam epiſtolam ipſam apponere, cum ita ſit corruptus textus ab interprete, vt vix intelligi poſſit; ſicut ipſe teſtatur Valeſius l. cit. & cuilibet eam legenti apparebit. Ceterum tria potiſſimum momenta pro nobis facientia hinc deſumere licet: 1) tempore Gregorii Naz. Chriſtianos tactis Euangeliis iurare conſueuiſſe; quod indigitat exceptio a Georgio periuro allata, non perfecti iuramenti, 2) legibus æque ac moribus iuramenta tum temporis maxime vſitata fuiſſe; quod ex verbis finalibus Gregorii, ad mores & conſtitutiones legum ſe referentibus, patet, 3) Gregorium noſtrum iuramenta per ſe non improbaſſe; quod vel inde patet: Georgium, de quo quærebatur, minime reprehendit, quod transactionem iuramento confirmaſſet, ſed tantum quod iuramentum ſeruare nollet.

hhhh) Epiſt. CII. T. III. opp. edit. Pariſ. p. 197. Ego vobis coram Deo pollicitus ſum, nihil me præ-

extant argumenta, quæ probant, iuramenta Baſilio minime per ſe illicita viſa fuiſſe. Multa diſſerit de illis, qui ſacramenta profana iurauerant, vi atque neceſſitate adacti peierauerant, aut temere rebus illicitis & nullius momenti iuratas adſeuerationes adhibuerant. Hos omnes reprehendit, iisque pœnitentiam imponi iubet; non quod iurauerant, ſed quod temeraria eaque idololatrica præſtirant iiii) iuramenta. Ex quo fluit, Baſilium vſu retento abuſum tantum reieciſſe.

§. XLVII.

Agmen huius ſæculi DD. ſimulque omnium, quos de hac materia teſtes producere neceſſe fuit, claudat Chryſoſtomus. Huius vtique ſententia de iuramentis peculiarem philoſophiam redolet; neque temere adſerere audeo, eum noſtræ patrocinari opinioni. Quin potius ex ipſius apparet ſcriptis, eum Chriſti prohibitionem ad Noui fœderis ſtatum perfectiorem, conniuentiam legis ad imperfectionem vet. Teſtam. referre. Licet tamen nullibi

prætermiſſurum eorum, quæ penes me forent. it. p. 178. Reliquum erat, vt etiam per litteras de iisdem coram Deo & hominibus conteſtaremur, conſentaneum eſſe, vt mortem hominum animabus inferre deſinatis, & aliquos alios exigendi modos excogitetis.

iiii) Epiſt. CCXVII. p. 329. Can. 81. Quoniam autem multi in barbarorum incurſione fidem in Deum violarunt, ſacramenta gentilia iurantes, & nefanda quædam guſtantes, quæ ipſis in magicis idolorum templis appoſita fuerunt; iis ſecundum canones iam a Patribus noſtris editos diſpenſentur - - - Qui vero ſine magna vi fidem in Deum prodiderunt, menſamque attigerunt Dæmoniorum, & gentilium ſacramenta iurarunt, eiiciantur quidem tribus annis, duobus audiant &c. eod. Vir ille ſuſcipi poteſt, poſtulante ab eo pietate tua, vt pœnitentiam agat, *ob facilem & promtum ad iusiurandum animum*, *quod coram infideli viro iurauit &c.*

kkkk)

nullibi ſatis euidenter oſtendat, ſe de iudicialibus quoque & publica auctoritate delatis iuramentis ſermonem facere; cum magis videatur de communi tantum ſermone loqui, quod ipſum Homiliæ finis quodam modo probat, vbi ait: *Conſuetudinem fugite iurandi!* Verum huius rei quidquid ſit, noſtræ nihil decedit ſententiæ, quamuis Chryſoſtomi aſſenſum non habeamus. Satis enim firmis per ſe nititur fundamentis, eamque ſufficientibus hiſtoriæ monumentis, patrumque teſtimoniis probauimus.

§. XLVIII.

Accedit, quod æuo Chryſoſtomi vſitatiſſima fuiſſe iuramenta ſatis demonſtrant tum ipſius reprehenſiones, quibus in temere iurantes paſſim inuehitur; tum incerti auctoris eruditi commentarii in Matth. Homil. XII. vbi quisquis demum ſcriptor fuerit, clericos ita adloquitur: *Audite vos clerici, qui iurantibus Euangelia ſancta porrigitis: quomodo poteſtis ab illo iuramento eſſe ſecuri, qui ſemen periurii datis &c.* Quæ verba non vſum frequentiſſimum iuramentorum tantum probant, ſed morem illum tactis Euangeliis iurandi tum temporis iam receptum fuiſſe oſtendunt. kkkk)

§. XLVIIII.

Poſſem & Auguſtinum commemorare, cuius pro ſtabilienda mea ſententia, multa extant egregie dicta. Poſſem adferre, ad errores Pelagii decantati relatum fuisſe, quod dixit, omnino non eſſe iurandum, llll) indeque

kkkk) Chryſoſtomi loca allegagare breuitatis ergo, nolo. Hoc tamen contendo, tempore Chryſoſtomi, non obſtante eius ſingulari philoſophia in hac materia, iuratum tamen inter Chriſtianos impune fuiſſe, quod multa illius temporis oſtendunt exempla.

llll) Voſſ. hiſt. Pelag. lib. V. P. II. theſ. I. Non eſſe iurandum, Pelagia-

que argumentum maxime concludens pro mea formare ſententia. Poſſem alia denique multa ex aliis patrum ſcriptis in vnum colligere, & nubi teſtimoniorum nubem addere aliam; ſed prolixior futurus & fines mihi propoſitos migraturus eſſem, cum hæc omnia ad ſæc. V. pertineant, in quo iurare licitis adnumeratum fuiſſe rebus nemo dubitat. Vnde hic pedem figo, beneuolo lectori integrum relinquens iudicium, vtrum quod propoſueram, demonſtrauerim nec ne.

§. L.

Vnum ſaltim addo, ex iis, quæ iam fuſius diſputauimus, ſimul apparere, ſpuriam neque ſatis genuinam eſſe illam, quam vulgo allegant DD. rationem, cur clerici a iuramenti præſtatione olim fuerint immunes. Hanc vt plurimum in eo ponunt, quod ſcilicet in clericis, ſanctitatis primario ſtudioſis, antiqua retenta fuerit eccleſiæ diſciplina, quæ omnino iurare cuilibet chriſtiano prohibuerit. A qua licet vrgente neceſſitate diſceſſerint laici, clericis tamen recedere integrum haud fuerit. Verum enim vero, ſatis, ni fallor, probauimus, legem prohibitiuam de iuramentis nullam fuiſſe in prima eccleſia; quin ipſam praxin per omnia ſæcula contrariam oſtendimus, neque non exemplis probauimus, presbyteros quoque & epiſcopos haud raro iuraſſe; vnde fluit, adductam rationem non eſſe veram & ſatis ſtringentem.

§. LI.

Alia prorſus cogitanti ſeſe offert, quæ, vt mihi quidem videtur, ſolidioribus nititur fundamentis. Scilicet

lagianorum ſententia fuit. Hunc errorem eis tribuit Ianſenius Harmon. Euang. c. 40. recte. Nam (pergit) Hilarius epiſt. ad Auguſtinum 88, vbi de erroribus agit a Pelagianis in Sicil. ſeminatis, inter eos refert, quod dixerunt, non debere iurare omnino.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0069-0

licet immunitatem illam a iuramenti præſtatione non prius affectauit ſibique ſumſit clerus, quam tempore illo, quo hierarchiam ſtabilire, & ſummam ſibi auctoritatem conciliare ſtudebat. Dum ſimplex & purior chriſtianorum erat vita, neque alter prærogatiuam præ altero ſibi arrogabat, de tali priuilegio altum erat ſilentium. Simplicitate vero illa ceſſante, & ſuperbia cleri gliſcente, varia huic ordini tributa ſunt priuilegia, pietatis vt plurimum ſpecie palliata. Quorſum & hoc pertinet, quo iuramenta exigere a clericis quilibet prohibebatur; mmmm) cum ipſo-

mmmm) Satis erudite hæc demonſtrat Beyer, de orig. & nat. præiudic. in iurei. c. 2. §. LXI. p. 129. ſqq. Artes clericorum (ait) magis adhuc ex eo patent, quod immunitatem a præſtando iureiurando affectauerint, eiusque neceſſitati ſeſe ſubduxerint. Cauſas huius immunitatis indagaturo eas, inuenire non difficile erit. Sapiebant nimirum ſupra vulgum & ſanctitatem plane ſingularem, variasque præ laicis prærogatiuas iactitabant eccleſiaſtici. Laicus exigente id lege iurare tenebatur; iuramentum erat imbecillitatis humanæ argumentum, & ad coercendam hominum fidei violandæ procliuitatem introductum. Sed quis clericos, homines tam ſanctos, datam ſemel fidem non ſeruaturos eſſe crediderit? - - - Sanctam vero & illibatam vt ſeruarent tempora poſteriora hanc clericorum prærogatiuam, de firmanda hac, ſuis decretis atque canonibus ſæpius cogitabant in conciliis. - - - Paulo poſt impetrabant ab imperatoribus, vt publica auctoritate eam munirent. Adfert porro capitularia Caroli M. itemque inprimis Henrici IV. illud diploma, quod habet Lunig im teutſchen Reichs-Archiv tom. XIV. p. 149. in quo omnibus clericis expreſſe immunitas a iuramentis conceditur. Gundlingius Gundlingian. P. IV. n. 1. §. 9. p. 294. Die Urſache, warum die Geiſtlichen überhaupt ſich von den Eydſchwüren befreyet wiſſen wollen, iſt ohnſchwer zu errathen. Sie wolten vor den Layen in allen Stücken einigen Vorzug haben. Der Laye aber muſte ſchwören. Das improbirten ſie ſelbſt nicht mehr: nur ſie wolten Hyper-Chriſten und alſo angeſehen ſeyn, als wenn die Ehre und Redlichkeit in ihnen leibhaftig wohnete - - - Darum erhebket,

ipſorum ſimplices aſſertiones vel negationes longe maiorem, quam vel ipſæ quodammodo iuratæ laicorum adleuerationes, vim haberent.

§. LII.

Fluit hoc (ſi primum originem reſpicias) ex illo ſummo honore, qui a primis mundi temporibus apud omnes gentes ſacerdotibus eſt tributus. nnnn) Vnde videmus, inter

let Sonnenklar, daß ein geiſtlicher Hochmuth unter allen dieſen Ausflüchten ſtecke. Sie wolten cœleſtes ſeyn; die andern hieſſen mundiales, plebs. Und dieſes ſentiment iſt freylich ſehr alt. Fata huius immunitatis clericorum id. eod. erudite ſatis, & iuſto ordine a primis vsque temporibus refert, aliaque huc pertinentia neque lectu indigna proponit. Leges huc facientes potiſſimæ ſunt: l. 25. §. 1. C. de epiſc. & cleric. vbi Imp. Marcian. conſtituti: Quod ſi lis diuerſorum clericorum, quæ agitanda ſit, memoratam ſummam videatur excedere; clericus lite pulſatus det executori pro reſidua quantitate emtionem ſuam: *cui nullum tamen inſertum erit iuramentum*, quia eccleſiaſticis regulis & canone a beatiſſimis epiſcopis antiquitus inſtituto, clerici iurare prohibentur; c. 1. X. de iuram. cal. in quo ad Marciani leg. prouocat pontifex, licet interpretem non ſatis iuſtum agat, vti oſtenſum a Bœhmer. I. Eccl. Pr. Lib. I. Tit. XII. §. 21. pag. 462. Porro conſtitutio illa Henrici IV. de iureiur. clericorum, quam exhibet Goldaſt. conſtit. Imper. tom. III. p. 319.

nnnn) In maximo ſemper vbique honore fuiſſe ſacerdotes, vti cuiuscunque gentis hiſtoriæ probant, ita in compendio de plurimis atteſtatur populis, Roſſæus in libro ſatis erudito: Der gantzen Welt Religionen p. 681. vbi ad quæſt. Welche iſt die fürnehmſte Stütze und Säule aller Religionen zu allen Zeiten geweſen? reſpondet: Die Ehre, Unterhaltung, und Beförderung, des Prieſterthums = = = Daher wir leſen, welch ein reicher und überflüßiger Unterhalt bey den Juden, den Prieſtern und Leviten verordnet geweſen; wie dieſelben vom Volck ſeyn reſpectiret und geehret, und wie die Hohenprieſter nicht weniger, ja noch vielmehr als der Fürſt iſt veneriret worden. Unter den Heyden iſt das Prieſterthum dermaſſen hoch gehalten

inter gentiles idem obſeruatum eſſe. Flamines enim ſuos, quique Deorum cultui & ſacris præerant, nullis adigi iuramentis patiebantur, ſed eorum ſimplici ſtabatur vel promiſſioni vel adſeuerationi aut negationi. oooo) Sed ſuper-

halten, daß der Fürſt beydes mit dem Amt und Nahmen eines Prieſters verehret zu werden begehret hat ꝛc. Singulos deinde populos refert, oſtenditque, ſummam vbique ſacerdotii reuerentiam fuiſſe.

oooo) Plutarch. moral. tom. I. quæſt. Rom. 44. p. m. 470. Cur flamini Diali non licet iurare? An quia tormentum liberorum eſt iusiurandum: Sacerdotis autem & animum & corpus oportet torturæ eſſe expers? Aut quia non conuenit de rebus paruis fidem non haberi ei, cui ſacræ & maximæ ſunt creditæ? Aut quia omne iusiurandum in execrationem periurii deſinit? Eſt autem execratio triſtis res, & mali ominis; quæ cauſa eſt, vt dira imprecari alias ſacerdotes per leges non poſſint. Et ſane laudi datum eſt Athenis ſacerdoti, quæ populo iubente Alciabidem deuouere noluit, votorum ſe, non deteſtandi cauſa antiſtitem eſſe inquiens. Aut quia periurii periculum, ſi homo impius ac periurus pro ciuitate vota nuncupet, ac ſacris operetur? T. Liuius lib. XXXI. c. 50. Comitiis ædiles curules creati ſunt forte ambo, qui ſtatim occipere magiſtratum non poſſent: nam Cornelius Cethegus abſens creatus erat - - - C. Valerius Flaccus, quem præſentem crearant, *quia Flamen Dialis erat, iurare in leges non poterat:* magiſtratum autem plus quinque dies, niſi qui iuraſſet in leges, non licebat gerere &c. Idem refert Puffend. in iur. nat. & gent. lib. IV. c. II. §. 2. Nieupoort rit. Rom. ſuccinct. explicat. ſect. IV. c. 2. §. 12. p. m. 337. edit. Traiect. Omnium porro Flaminum longe digniſſimus fuit Flamen Dialis, qui etiam lictore, ſella curuli & veſte prætexta vtebatur: & ex iure ſacerdotii ſui ſenatum ingredi poterat. Hic plurimis ceremoniis obſtrictus fuit - - nempe religio ei erat equo vehi - - quia nec noctem vnam extra vrbem manere ei fas erat, *nec poterat iurare, vel certe non cogebatur*, nec annulo vti, niſi pervio ceſſoque &c. Alexand. Roſſæus l. c. zu Rom hat der Flamen Dialis, oder Prieſter Jouis die Ehre, daß ſein bloſſes Wort ja ſo viel golt, als ein Eydſchwur, und ſeine Gegenwart an ſtatt

ſuperſtitionem potius quam reuerentiam hoc merito appelles, a qua chriſtiani certe alieni prorſus eſſe debebant. Laici æque ac clerici ad ſancte viuendum chriſti præceptis obſtringuntur; neque maior pietas a ſacerdotibus, quam reliquis deſideratur corporis Chriſti myſtici membris. Vnde & in ſermone omnium vna eademque ſinceritas atque fides eſſe debet. Neque a fraude & malitia adeo omnes clerici ſunt alieni, vt mentiri prorſus neſciant; contrarium potius quotidiana probant exempla. Quæ ipſa non tantum noſtrates, vt clericis tale priuilegium nunquam conceſſerint, ſed ipſos forſan pontificios quoque impulit, vt hodie iuramenta a ſacerdotibus quoque exigant. Taceo, totum hanc clericorum & laicorum diſtinctionem peſſimam ambitionis habere originem, quod ſatis oſtenderunt viri doctiſſimi. pppp)

§. LIII.

Nobis ſupereſt vnica quæſtio, eaque præiudicialis, de ipſa nimirum iuramenti moralitate. Vltimum hoc diſſertationis noſtræ membrum, ne rubrum plus nigro continere videatur, breuiter explicemus. Etenim quæ omnia antiquitatum attulimus documenta, nudum probant factum: ſcilicet, primos iuraſſe chriſtianos; vtrum id recte & legitime fecerint nec ne, minime demonſtrant. Quamobrem operæ pretium facturi nobis videmur, ſi diſ-

ſtatt eines Heiligthums war. Selden. de ſynedr. lib. III. c. 8. ex Maimonid. refert: Summum pontificem apud Iudæos cum a teſtimonio dando, tum a iuramento præſtando immunem fuiſſe. Ex quo Iudæorum more non immerito coniicit Gundling. l. c. originem immunitatis clericorum forte petendam eſſe.

pppp) Lege de hac materia vtique meretur Bœhm. diſſ. de differentia inter ordin. eccl. & pleb. quæ in diſſ. ad Plinii & Tertull. VII. eſt, p. 340. ſqq. & inſtar multorum ſufficere poterit.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0073-8

disquiramus, vtrum omnino liceat homini chriſtiano iurare? Ventilata eſt hæc theſis & affirmatiue deciſa non a philoſophis tantum & theologis, ſed a ICtis quoque, ad quos pertinet iuramenta vel deferre, vel vt relata rite præſtentur, curare. Vnde ne actum agam, & inanem operam nauem, neque hnic rei admodum inhærebo, neque argumenta fruſtra recenſebo, ſed quam id fieri poteſt breuiſſime, ſententiam meam proferre conabor.

§. LIIII.

Philoſophicas demonſtrationes, argumentaque ab effectu iuramentorum, eorumque fine deſumta, ex aliorum ſcriptis adferre ſuperſedeo. qqqq) Quæ omnia, quanquam facile tribuam, haud mediocrem inferre probabilitatem, (mea tamen ſententia) ſcrupulos omnes minime remouent, multo minus demonſtrant, DEI voluntati vſum iuramentorum non repugnare. Multa ſunt, quæ nobis rationi conſentanea, ſocietati & commerciis inſeruientia & maxime vtilia videntur, inde tamen non ſtatim ſequitur, eadem etiam licita eſſe Deoque probata. Fundamentum itaque aliud quærendum, quod ſimul omnes ſoluat nodos, & contra ſentientium exceptiones elidat.

§. LV.

Scilicet totius controuerſiæ huius cardo vertitur in explicando loco cit. Matth. 5, 34. Ἐγὼ δὲ λέγω &c. quibus verbis Chriſtus noui fœderis auctor, omnem reieciſſe, atque illicitum reprobaſſe iuramentorum vſum, primo intuitu videri poſſet. Verum enim vero hanc minime Chriſti mentem fuiſſe, ſatis euictum eſt. *Loquitur ſummus*

qqqq) Tales adferunt, plurimi DD. de iuramentis differentes; conf. Tillotſon in concion. ſupra cit. Walchius in lexico philoſoph. alios denique plures, quorum nomina hic referre non opus eſt.

rrrr)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-175017-p0074-4

*mus ſapientiæ doctor de friuolis adſeuerationibus, temere in quotidiano ſermone adhiberi ſolitis, easque reprobat ceu chriſtiano minime dignas. De neceſſariis, volente magiſtratu, præſtitis, aut maioris momenti negotiis non temere, ſed conſulto additis, ne cogitat quidem, tantum abeſt vt ea damnet.*

### §. LVI.

Clariora hæc omnia fient, ſi antiquitates Iudaicas ad intelligentiam noui teſtamenti haud parum facientes curatius paullo introſpexerimus. Lege antiqua cautum erat, ne per aliud quidpiam, quam per nomen ſupremi DEI iurarent. rrrr) Renouata hæc lex a doctoribus Iudaicis, teſte Maimonide, aliisque de ritibus Iudæorum ſcriptoribus, & publica diſpoſitione ſancitum fuit, vt nulla vnquam ſolemnia iuramenta in iudiciis, aut aliis arduis quibuscunque negotiis aliter præſtarentur, quam adhibita DEI Omnipotentis inuocatione. ssss) Neque probari

rrrr) Deut. c. 6. 13. Dominum Deum tuum timebis, & illum coles, & per nomen eius iurabis. conf. Leuit. c. 19, 12. Simonville ceremoniés & contumes, qui s'obſervent parmi les Juifs &c. P. II. c. 4. §. 1. p. 55. Il eſt defendu de jurer en vain, ni de prononcer pas un des noms divins ſanc neceſſité, ſuivant ce qui eſt dit, dans le Decaloque & dans le 6. Chap. du Deuteronome. Le menſonge & la fauſſeté ne ſont pas permis non plus, comme il eſt dit au Levitique Chap. 19, 14. Vous ne jurerez point en mon nom en mentant.

ssss) Selden. de ſynedr. lib. II. c. XI. §. 2. Iuramenta forenſia, adeoque alia quotquot licita, rite præſtanda erant per nomen ſanctiſſimum Domini; quam ob rem præceptum habent affirmatiuum Deut. 6, 13. Id. ex Maimonide Schebuoth c. II. §. 1. adfert: Præceptum eſt affirmatiuum, vt cuique præſtandum fuerit in foro iuramentum, is iuret per nomen Dei. it. ex Moſ. Kotzenſ. præcept. affirm. 123. nefas eſt iurare per rem aliam, quam nomen Dei. Scilicet quisquis aſſociauerit aliquam rem aliam in iureiurando, cum Nomine Sanctiſſimi illius & Benedicti, extirpetur e mundo. Neque enim nomen, præter ſolum

bari vllo poterit modo, aliam in iudiciis Iudæos vnquam admiſiſſe iurandi formulam, quam per Numen ſanctiſſimum. Iam vero conſtat, quam caſte, raro & verecunde IEHOVAE nomen pronunciatum fuerit, & hodienum a Iudæis pronuncietur. Vnde in communi ſermone negotia cum aliis habentes minime proferre, multominus per illud iurare audebant; tttt) nouas potius in fraudem legis diuinæ aſſerendi formulas ſubſtituentes, iis ad leuiſſimas res temere adfirmandas uuuu) & negandas

ſolum illud benedictum habetur, quod dignum eſt, cui commnnicetur gloria ſeu honos per illud iurandi. Sebaſt. Schmidt, diſp. theol. faſc. diſſ. X. p. 665. in Iudiciis non iurari debuit, niſi per nomen Dei, vel explicite vel implicite, adeo vt ſi quis in iudicio interrogatus iuraret per creaturam, nihil eſſet. Halterman de formulis iuramentor. Iudaicor. §. 6. idem probat, & ex Maimon. formulam eiusmodi adfert iuramenti: *Ecce ego iuro per IehouahDeum Iſraëlis, aut per illum, qui vocatur gratioſus, vel per illum, qui vocatur miſericors, me non eſſe illius rei reum.* Execrationem ſi iurans addere volebat, hæc erat: *Sit hic maledictus Iahouæh, & maledictus illi, qui vocatur gratioſus, ſi &c.* vnde porro recte concludit, per nomen eſſentiale Iehouæh, aut Eius cognomen regulariter iuratum eſſe. Id. pergit: §. 9. Atque hunc iurandi modum, non tantummodo ipſe Deus illis præceperat, ſed & ſuo exemplo ſtabiliuerat - - - - Vnde etiam hic iurandi modus ab ipſis illorum Doctoribus iniunctus atque mandatus eſt. Adfert deinde præc. affirm. CXXIII. Præceptum affirmatiuum eſt, quod iubet nos iurare *per Nomen Dei*, quando neceſſum eſt, aliquam rem confirmare.

tttt) Perrinent huc verba Maimonid. quæ iterum Seldenus l. c. refert: Qui audierit mentionem Nominis ſeu Dei ex ore proximi ſui in vanum, aut cum falſo iurantem, aut maledictione non neceſſaria vtentem, ita, vt ſic quoque transgrediatur, aſſumendo nomen Domini in vanum, obligatur, eum excommunicare. Si vero eum non excommunicauerit, ipſe eſt etiam excommunicationi obnoxius, ſeu a ſe ipſo excommunicandus.

uuuu) Halterman l. c. §. 13. Quemadmodum itaque Iædæi in iudicio

das vtebantur. Hiſce non omnibus, vim iuramenti, ſi obligationem reſpicias, tribuebant; minus ineſſe peccatum, ſibimet ipſis falſo perſuadentes, in frangendis pactis per creaturas iureiurando confirmatis, quam per ipſum DEVM. xxxx) Potiſſimæ harum formularum erant illæ,

iudicio iurarunt per nomina aut cognomina Dei; ita contra in vulgari ſermone, familiaribus confabulationibus & pollicitationibus, inprimis tempore Chriſti, adſueti fuerunt oſcitanter, & temere iuramenta per creaturas committere. Ebertus hiſt. Iuramentor. p. 44. Phariſæi, qui veram religionem ſtudioſiſſimi tueri, ſanctiſſimamque vitam agere videri volebant, ii ſuo quodam conſilio & auſu ſatis temerario & leui, varias excogitarunt iurandi formulas, quibus ſe libere, & ſine vlla diuini Nominis profanatione ad libitum vti poſſe exiſtimabant. Iudæi mandatum illud iurandi per Dei nomen, de ſolo tribunali magiſtratus intelligebant, & inde colligebant, non licere modo, ſed & præſtare, per creaturas iurare, ne frequentiori per creatorem iuramenti vſu violetur Maieſtas eius.

xxxx) Ebertus l. c. p. 90. Eodem plane modo quod dictum esſet: Non aſſumes nomen Dei tui in vanum Exod. 20. Et: Non peierabis in Nomine Dei tui, Leuit. 19, ideo Phariſæi pietatem & religionem a lege poſtulatam pro ſuo arbitrio & libidine eluſuri, ita argumentabantur: Qui nomine Dei abutitur, fit periurus; Ergo qui aliis nominibus abutitur, non fit periurus. Et ſic eos tantum pronunciabant periuros, qui non ſeruasſent, quæ expreſſa diuini Nominis mentione polliciti eſſent: eos autem, qui per cœlum, per terram - - fidem neglexiſſent, periuros haberi minime debere. Halterman l. c. Quod obligationem horum iuramentorum attinet, ad vnum ferme omnes concedunt, ea non ita hominem obligare, vt non poſſit non iurata ſeruare, aut ſi periurauerit, periurii pœnam neceſſario pati debeat. Hinc enim iuramenta eiusmodi vix pro talibus agnoſcunt. Qui legitime iuratum quendam vellet, i. e. non ſine obligatione ad pœnam periurii, ſiue forenſem, ſiue per ſacrificia - haud iuramento vlli ſatis credendum exiſtimauit, quod minime per ſanctiſſimum Numen aut expreſſim, tacite præſtaretur. Neque enim pœnæ publicæ illæ ad iuramenta

illæ, quas optimus Seruator loco citato refert, eæque maxi-

alia attinebant. Hæc omnia optime & compendioſe adfert Pol. in ſynopſ. critic. P. IV. p. 164. Iuramenta iuxta Hebræos, erant vel 1) neceſſaria & iudicialia, quæ in iudicio iurabantur, quæ ab actore aut iudice deferebantur reo; vel teſtibus, vt veritas affirmetur & ſtabiliatur: vel 2) voluntaria, quæ fiebant extra iudicium, & ſine iudicis auctoritate. In illis per ſolum Deum iurabant Iudæi, teſte Maimon. tract. Perek II, nec licere putabant addere creaturam Deo ſociam; ratio eſt apud Maim. quia, cum de veritate adfirmanda agitur, honos habetur ei, per quem adfirmatur, atque is vni Deo eſt habendus; in his autem licere putabant per creaturas iurare; ſignificaturque hoc iuramento, eum, cum quo res eſt, ei qui iurat, debere perſuaſum habere, rem, de qua loquitur, non minus certam eſſe, quam ſit res illa, per quam iurat. Iuramentum porro per creaturam non cenſebatur proprie iuramentum, nec ratum ſiue iuratum habebatur; ſed *nihil erat*, nec putabant, illos, qui ita iurauerant debere, ſiue teneri ad præſtandum, nec illos exiſtimabant, lege teneri periurii aut iuramenti temerarii vani, excepto iuramento per aurum templi, itemque iuramento בְּקוֹרְבָּן. Qui vero per Deum iurauerat, tenebatur lege periurii. Pertinet huc illud Martialis L. XI. Epigr. 94. vbi a verpo, vel Iudæo, vt per Deum iuret, deſiderat: Ecce negas; iuraſque mihi per templa Tonantis. Non credo; iura verpe, per Anchialum (ſ. Deum veſtrum) ad quæ verba Martialis, optime Petitus in not. Nemo enim lege tenebatur, periurii aut iuramenti temerarii, vel vani, qui iurauerat, per rem aliquam creatam; excepto iuramento per aurum templi & corban. Qui vero per Deum iurauerat, ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium, tenebatur lege periurii, aut iuramenti temerarii, ſiue vani, ſi peierauerat. Videntur autem gentiles in aliquam huius moris Iudæorum cognitionem veniſſe; nam Martialis non ſatis habebat, quod Iudæus per templum iurarit; nouerat enim, ſi iurantes per templum peieraſſent, οὐδὲν εἶναι, vt loquitur Chriſtus, ſed vult iurari per Deum ipſum, per quem qui iurauerat, ſi peierarat, certum erat ὀφείλειν.

yyyy)

maximam partem a gentilibus originem trahebant, ſicut recte ab eruditis obſeruatum eſt. yyyy)

§. LVII.

Huncce iuriſiurandi abuſum Chriſtus taxat, eumque ſerio eliminare contendit. Probat, maxime futilem, peſſimam, & Summi Numinis voluntati oppoſitam plane exceptionem illam eſſe, qua tutos a periurio ſeſe credebant, etiamſi adſeueratione adhibita, fidem frangerent. Ait, in lege ſancitum: Ne peierabis, ſed reddes &c. Vos autem metuentes vindictam Altiſſimi, ſi per Nomen ipſius adeo temere & inconſiderate iuretis, fraudem excogitaſtis, ad impune & iurandum & peierandum. Per creaturas nimirum iuratis, quæ in veſtra non ſunt poteſtate; quin etiam per eas, ſub quibus ipſe DEVS intelligitur. Omnibus autem hiſce iuramentis ſummam DEI O. M. profanationem committi, eaque vobis in totum prohibita eſſe ſciatis. Nulla prorſus iuramenta in quotidianis confabulationibus veſtris & ſermonibus familiaribus adhiberi volo. Omnia enim, qualiacunque demum ſint, mendacio præbent anſam & diffidentiæ ſpeciem præ ſe ferunt, eoque ipſo diuinæ repugnant ſanctitati. Sit autem mutuus ſermo veſter *eſt*, *eſt*; ſiue, quæ affirmanda, ſimplici *eſt*, vel *ita*, affirmetis; quæ neganda, ſimplici *non*, vel alio ſimili vocabulo negetis, ne forte plura addendo, verba proferatis inutilia, & bonæ fidei contraria, & ita in peccatum incidatis. Sunt enim adſeuerationes illæ, quæ præter neceſſitatem temere adduntur, a malo, proniorem ad temere iurandum inclinationem prodentes. zzzz)

§. LVIII.

yyyy) Præter Seldenum illud quoque obſeruat Halterman l. c. §. 14. Vnde hunc iurandi modum addidicerunt: indagatione quadam vix indiget. Nam quemadmodum multa alia gentibus debent; ita quoque & hæc iuramenta.

zzzz) Non adeo diſſimilis eſt in-

 ter-

§. LVIII.

Quæ omnia cum ita ſint, prono inde fluit alueo, Chriſtum non de omnibus (promiſcue) ſed inutilibus ſaltem, temere in communi vita prolatis loqui iuramentis. Ex præmiſſis enim, quæ antiquitatum nituntur fundamentis, recte argumentor: Si Chriſtus omnia, etiam iudicialia & neceſſaria iuramenta voluiſſet reiicere, eorumque vſum abolere, non in recenſendis, & enarrandis iis tantum formulis, quas minimi momenti rebus priuatiue adhibere ſolebant Iudæi, ſubſtitiſſet, ſed de illis quoque dixiſſet, quæ ad ſolemnes & maiores cauſas inprimis pertinebant, easque itidem reprobaſſet. Iam vero hoc minime fecit, ſed ea ſaltim tetigit, quæ in materia iuramentorum ad abuſum pertinebant. Ergo patet, eum de hoc, non de ipſo vſu tollendo, cogitaſſe aaaaa)

§. LIX.

terpretatio, quæ in Poli ſynopſ. l. c. habetur: Non vetat Christus iusiurandum vt rem per ſe malam, ſed vt rem, quam niſi in negotiis maximi momenti, vſurpare non licet. Quæ autem ſint res eiusmodi, non tam certis definitionibus comprehendi poteſt, quam ſpiritu charitatis diiudicari. Non dicit h. l. malum eſt, ſed a malo eſt, quo & fugam illius ſuadet, dum eo opus non eſt, & permittit vſum, dum eo opus eſt. Bonus enim eſt vſus quarundam rerum, quarum ex malo origo eſt.

aaaaa) Huic noſtræ ſententiæ conformis eſt ille Tillotſ. l. c. p. 431. Daß aber das Verboth unſers Heylandes nur allein von den Eydſchwüren im gemeinen Leben zu verſtehen ſey, ſolches erhellet zur Genüge aus dem Gegenſatz der Worte unſers Erlöſers, da er ſagt: Ihr ſollet allerdings nicht ſchwören! Eure Rede ſey Ja, Ja, Nein, Nein, d. i. im gemeinen Umgange ſollet ihr nicht ſchwören, ſondern ihr ſollet dasjenige, was ihr ſaget, auch thun. Und dieſes wird deſto mehr dadurch bekräftiget, weil der liebe Heyland unter ſolchem allgemeinen Verboth diejenigen Eydſchwüre, dabey der Name GOttes gebraucht wird, gar nicht zum Exempel anführet. = = = Wann wir nicht voraus ſetzen, daß dieſes die

Mey=

## §. LIX.

Hæc ſibi dicta putent Menoniſtæ, Quakeri, Anabaptiſtæ, aliique huius generis homines, qui nimio quodam zelo ducti in iurantes quoscunque inuehuntur, neque vllo pacto adigi poſſunt, vt iuramentum ipſi præſtent aut fidelitatis, aut aliud quodque a ſuperiore impoſitum. Cogitent, in errore euidentiſſimo ſe verſari, a quo boni publici, bbbbb) & tranquillitatis reipublicæ gratia vt liberentur, vtique ipſis elaborandum eſt. Quas enim turbas mouerint, ſeu quibus ad minimum anſam præbuerint motibus, Anglicanæ inprimis teſtantur hiſtoriæ. Sed meum non eſt, ſacris his bellis immiſceri; theologicæ potius cathedræ lubens volensque hoc remitto. Hoc tantum addo, minus valida, ne dicam futilia, & penitus inania eſſe argumenta, quæ haud ita pridem quidam in eccleſia Menoniſtarum Belgica verbi miniſter in deductione hiſtoriæ Menonitarum attulit, quæ in notis a me excerpta curioſus lector videat. ccccc)

§. LX.

